3. 7. 195

CARMINA

THOMÆ CEVÆ

è Soc. Iesv.

Videlicet

PHILOSOPHIA NOVO-ANTIQVA,

Quæ nunc primùm prodit.

IESVS PVER POEMA.

Editio quarta

S Y L V Æ.

Altera editio auctior.

MEDIOLANI, M. DCCIV.

E Prælo Ghiſulphiano.

Sumptibus Dominici Bellega[illegible] in via S. Margaritæ.

PHILOSOPHIA
NOVO-ANTIQVA

THOMÆ CEVÆ

è Soc. Iesv

SVB AVSPICIIS

EXCELL.MI DOMINI

D. ANNIBALIS
ALBANI

CLEMENTIS XI.

PONT. MAX.

Ex Fratre Nepotis.

MEDIOLANI,

Ex Officina Ghiſulphiana.

EXCELLENTISSIME DOMINE.

IGnotus Tibi, longiſſimoque Italiæ tractu diſiunctus, Philoſophiam hanc metro alligatam Tibi dedicatam ſiſto, EXCELLENTISSIME D MINE: Tibi, inquam, omnigenæ literaturæ dedito quem mihi nobiliſſim Equites præſertim, qui in iſto R

uictu Tibi quondam ſocij extitere, tantâ humanitate, tantâ affabilitate, candore, ac moderatione præditum aſſeuerarunt, vt meo erga Te obſequio, ingenitâ quadam formidine refugo ac ſolitario, tetricam verecundiam, & metum fere omnem ademerint. Earum ſcilicet virtutum lætiſſimarum, atq;, vt ita dicam, ridentium geniales vultus omnium animos, omnium obſequia amoremq; alliciunt; atq; ad ſeſe, etiam remotiſſimos atq; agreſtes, vi quadam trahunt. Ingenij porrò Tui perſpicaciam atq; præſtantiam iampridem noueram. Sciebam quoq; Te literis Latinis atque Græcis, nec non poeſi, præſertim Italicâ, & varijs peregrinis linguis excultum. Audieram inſuper quo plauſu, in conſpectu Romanæ vrbis, hoc eſt in theatro totius terrarum orbis, rerum Diuinarum theſes pro-[illegible]uiſſes: Ac deniq; frontem illam ingenuitatis, ac modeſtiæ

ſedem

ſedem, triplici Laureâ, Philoſophiæ nimirum, Theologiæ, ac Iurisprudentiæ exornatam ſuſpexeram; & quidem hæc omnia in flore annorum, vix quinto luſtro ætatis exacto. At me præ cæteris mouit innocentia morum, religio, ac pietas; de quâ plura dicerem non ita cognita, mihi tamen veſtiganti comperta, niſi hæc eadem ad Te eſſet epiſtola peruentura; quam proinde inter legendum immeritò criminabere tanquam aut nimiam, aut non bene conſciam; et fortaſſe metues ne vlteriùs adhuc in laudes Tuas effundi velit. At ego nihil vltra addam. Nam ratio habenda eſt in primis modeſtiæ Tuæ; eius, inquam, modeſtiæ, quam ſuprema in terris dignitas Patrui Tui adeò non læſit, vt inde affabilior, humanior, ac moderatior (quanquam his dotibus iampridem emineres) adhuc euaſeris: Sanctiſſimum Pontificem imitatus, qui, nonniſi ægerrimè, & pre-

cibus victus, immò religione iniectâ, altiſſimum illud munus accepit, cuius videlicet nil niſi onus grauiſſimum ſibi ferendum, & quidem difficillimis poſt hominum memoriam temporibus iam tum apud ſe præuiderat, ac firmiſſimè conſtituerat. Atq; hæc de Te hactenus; quæ tamen iudicio Tuo (da veniam) minimè ſubiecta volo. Pauca nunc de opuſculo hoc meo, quod vtiq; ingenio & ſapientiæ Tuæ penitus libentiſſiméq; ſubijcio. Philoſophiam nouo-antiquam apellare libuit; tum quòd mediâ quadam viâ inter priſcos & recentiores incedit; tum quòd pleraq; noua ſunt (vt puto) quæ mihi partim fortuitò, partim meditando, ex fontibus Matheſeos in mentem venere; iiſq; vſus ſum ad confirmandam partem potiſſimam veteris & Ariſtotelicæ Philoſophiæ. An verò alij (quod non rarò contingit) in hæc eadem inuenta inciderint, aut aliquid ex ijſdem innuerint,

parum

parum ſolicitus ſum, neq; in hâc deuexâ ætate gloriolam primi inuentoris (etſi eandem minimè contemnam) admodum tamen curo: Quin gratiſſimum fuerit, ſi ijsdem his rebus confirmandis plurimorum auctoritas acceſſerit. Verſibus vti libuit, vtinam longè venuſtioribus; quos quidem Lucretij dulciſſimæ ſed virulentæ poeſi opponere conſilium fuerat, ſi vires ingenij animi audaciæ reſpondiſſent. Deniq; neq; expolitum neque abſolutum opus edidi. Edidi tamen, eo inter cætera conſilio, vt, ſiquid interea occurreret emendandum, crimen omne in breuitatem temporis refunderetur. Hæc hactenus de opuſculo hoc meo. Ad Te iterum redeo. Nã œſtrum neſcioquod improuiſum mihi ſcribenti ingruit, quo mens vaticinatur, ſub hoc Maximo Optimoq; Pontifice, ſcientiarum omnium atq; artium liberalium amantiſſimo, Te adiutore ac duce (quamprimùm iſte, quo

§§§§ nunc

nunc flagrat Europa, ignis bellicus deferbuerit) futurum aliquando vt noſtra Italia vniuerſæ literaturæ artiumq; pulcherrimarum ſtudijs iterum eſfloreſcat, atq; Vrbs iſta, terrarum omnium magiſtra, iterum ſibi integrum ſapientię regnum vindicet, Muſarumq; choro præſideat, & diſciplinarum omnium (vt ita dicam) habenas regat. Iamq; ille Mæcenas ter Maximus, Picturæ, Statuariæ, alijsq; honeſtiſſimis facultatibus Capitolium aperuit. Iam illa etiam tranſalpina ſtudia, diu apud nos neglecta, quæ in laborioſâ eruditione verſantur, ex ſacrâ profanaq; antiquitate defoſſa, paulatim in ſinum Italiæ matris redeunt. Iamq; Academijs varijs paſsim incendi animos video, quibus non multis ab hinc annis ad Tiberim tuum celeberrimi Arcades proluſere. Nec tantùm Ciuitatem iſtam terrarum caput, ſed alias quoq; præclarus iſte ardor paulatim inuadit. Atq; (vt de

cæte-

cæteris ſileam) in hâc noſtrâ Patriâ inſtitutus nuperrimè eſt congreſſus eruditiſsimus ex lectiſsimo Nobilium iuuenum flore, quorum nonnullos tecum educatos noueris, qui rem vniuerſam literariam inter ſe partiti, alternis diſſertationibus ad omnigenam eruditionem atq; ſcientiam, collatis inuicem ſtudijs, conformantur. Quamobrem ſi hiſce initijs pulcherrimis Principum fauor vndequaq; acceſserit; ſi obſcuræ & ſqualidæ per Italiam typographiæ, commercijs exterorum conciliatis, reliquarum nationum nitorem & cultum æmulentur; non dubito quin ingenia Italorum ad omnem eruditionem nata, deterſo tandem ſqualore atq; otio, monimentis publicis innoteſcant. Reliquum poſtremò eſt vt hiſce meis lucubrationibus veniam abs Te petam: non quòd auſus fuerim illas Tibi inſcribere; nomina enim Principum iuris publici ſunt; ſed quòd eaſdem nondum expolitas atq;

per-

perfectas obtulerim. Quibus vt aliquando ſupremam manum imponam, ſatis ſuperq; erit, ſi hoc qualecunq; obſequij mei vectigal æquo animo, ac benigno vultu exceperis. Vale.

Excellentiæ Tuæ

Humill. atq; obſequentiſs. Seruus

Thomas Ceua è Soc. Iesv.

LEC-

LECTORI.

PRiuſquam, Lector, carmina aggrediaris, pauca quædam attendas velim, de quibus te præmonitum volo. Et primò quidem, quo minùs expolitum, & minimè perfectum opus ediderim (deſunt enim de Anima & de Naturæ auctore diſſertationes præcipuæ) cauſam rationemq; aliquam in præmiſsâ epiſtolâ nuncupatoriâ expoſui: Ibidemq; alia nonnulla indicaui, quæ prælegas velim. Deinde hæc ipſa, quæ in lucem damus, eam vim tantùm habent ad perſuadendum, quam neceſſitas metri permiſit; quandoquidem potiora argumenta nonniſi figuris geometricis & numeris exprimi poſſunt. Quod ſi odioſum nomen demonſtrationis alicubi repe-rias, id intelligas velim mitiùs, quantùm ſcilicet hanc geometricam dotem res phyſicæ patiuntur. Quoniam verò plerumq; contingit vt opus ſe-rium, & minimè interruptum, aſpectu ipſo lectorem auertat; Præſertim ſi initio aliquid ſalebroſum moram iniecerit; Lubet idcirco in hoc ipſo aditu ſolutâ oratione explanare primam aſſertionem, quâ ex iactu lapidis conamur oſtendere, dari aliquod principium, potens vniuerſa corpora in nihilum redigere, quò faciliùs eandem metro alligatam, & cætera ſubinde huic adnexa, magnáq; ex parte innixa, aſſequaris.

Incl-

Intelligatur igitur lapis perpendiculariter ſurſum proiectus. Grauitas perpetuò obſtans aliquem certè impedit motum. Non eum planè, qui fit; neque enim fieret, ſi impediretur. Ergo alium, qui fieri debuerat, niſi grauitas retrahens obſtitiſſet. Ergo eſt alius quidam motus ulterior, natu prior, quo lapis ille tendere vlteriùs contendit, qui propterea debet eſſe poſſibilis; cæterùm neq; mobile eundem conſequi niteretur, neq; illum grauitas impediret. Hic porrò motus, qui ſic impeditur, ex conſenſu omnium mathematicorum, æquabilis omnino eſt, quòd videlicet à nullo impetu aduerſo lædatur, ſeclusò aëris impedimento. Poſſibilis ergo eſt motus æquabilis; qui tamen in hâc rerum ſerie dari non poteſt. Nam motus corporum, qui fit per lineas rectas, vel eſt acceſſus ad centrum, ideoq; acceleratus; vel receſſus à centro, ideoq; retardatus. Ergo, cùm prædictus motus æquabilis iamoſtenſus ſit abſolutè poſſibilis; & ex alio capite in hoc rerum ordine ſit impoſſibilis; neceſſe eſt eundem poſſe exiſtere in alio rerum ſtatu; in eo nimirum, in quo grauitas retrahens nihil obſtet: Quod quidem eueniret, ſublato centro vniuerſi, quò grauia omnia feruntur. Tunc enim lapis impulſu quouis per inane delatus, neutiquam retraheretur à grauitate versùs centrum ſibi extrinſecum, vnde oritur retardatio. Verùm id fieri nequit, niſi omnia corpora in nihilum redigantur, lapide illo vno tantùm ſuperſtite, qui incitetur ad curſum. Si enim alia ſupereſſent, centrum quoq; eorundem ſuperſtes foret, eòq; corpora tenderent motu accelerato, vel ab eodem recederent motu retardato, vt priùs. Ergo, cùm ſit poſſibilis motus ille naturalis æqualilis, vt diximus; neque ſit poſſibilis, niſi in tali ſtatu; dari

etiam

etiam poterit iſtiuſmodi ſtatus , in quo nimirum , omnia corpora , vno tantùm retento , in nihilum redigantur. Datur ergo poteſtas , ſeu principium , potens omnia redigere in nihilum: Quod erat demonſtrandum.

Iam verò hoc idem , ſolutionesq; eorum , quæ obijci poſſent , atq; alia phyſico-mathematica , ſubinde nata , dilucidiùs fortaſſe , atq; expeditiùs carmine expoſita , ſi lubet , aggredere.

IOAN-

IOANNES VINCENTIVS IMPERIALIS è Soc. Ieſv, PRÆPOSITVS PROVINCIALIS Prouinciæ Mediolanenſis.

CVM Librum, qui inſcribitur: PHILOSOPHIA NOVO-ANTIQVA Patris Thomæ Ceuæ è Societate Ieſv, aliquot eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint; facultate nobis a Patre Noſtro Vicario Generali Michaele Angelo Tamburino ad hoc communicata; concedimus, vt Typis mandetur, ſi ita ijs ad quos pertinet videbitur. In quorum fidem, has literas, manu noſtra ſubſcriptas, & Sigillo Societatis noſtræ munitas, dedimus. Genuæ 7. Auguſti 1704.

IOAN. VINCENTIVS IMPERIALIS.

IMPRIMATVR.

Frater Ioſeph Maria Reina Ord. Præd. Sac. Theologiæ Magiſter, ac Commiſſarius Sancti Officij Mediolani.

Bartholomæus Craſſus Canonicus Ordinarius pro Eminentiſs. Card. Archiep.

Angelus Maria Maddius pro Excell. Senatu.

Digitized by Google

Google

DISSERTATIO PRIMA.

ARGUMENTUM.

Dari principium aliquod, potens uniuerſa corpora in nihilum redigere, oſtenditur ex motu grauium retardato. Grauitatem eſſe innatam corporibus contra Gaſſendum, & Carteſium. Cur grauia ad centrum ferantur. Ex naturâ libræ demonſtratur, corpora demiſſa ex quiete ex inæqualibus diſtantijs à centro, eodem tempore ad centrum peruenire. Corpuſcula Gaſſendi vel eſſe omnino torpida, vel in unum concurrere, ac proinde reduci ad quietem.

SVmme Pater, cuius diuino hæc omnia nutu
Ex improuisò venere in luminis auram,
Quæ priùs obſcuro in nihilo ſubducta latebant;
Hoc opus immortale tuum, mentisq; ſupernæ
Grande magiſterium quoties caligine denſâ
Obſitus ingredior contemplaturus opacæ
Naturæ ingenium, toties formidine ſacrâ
Territus, & cognoſcendi ſpe luſus inani,
Te ſummum artificem, veluti ſub nube latentem,
Eque tuis rebus tranſlucens Numen adoro.
Magnum aliquid certè miranda hæc machina rerum

Oppoſito eliſus fuerit niſu, integer vſq;
Illæſusq; æquo deducat mobile curſu.
His animaduerſis, lapidem iaculemur in altum.
Protinus hunc grauitas à tergo inimica coërcet,
Atq; manu quadam retrahit, cogitq; reuerti.
Ergo aliquem niſu aduerſo motum impedit. At quem?
Non illum certè, qui fit; nec enim fieret, ſi
Obſtaret quidquam ne fiat; nec lapis ille
Conficeret curſu ſpatium quod conficit. Ergo
Eſt alius motus natu prior, vlteriorque,
Quem natura cupit, quo corpora iacta ferantur,
Ni vetet ingenitum pondus. Sic acer arenâ
Aut circo ſonipes, niſi fræna iniecta morentur,
Ilicet effuſo præteruolet omnia curſu.
Sic, vbi remigio valido ratis æquora ſulcat,
Si fortè ingruerint aduerſi flamina venti,
Illa quidem curſum frænant retrahuntq; priorem;
Non illum tamen imminuunt, qui reſtat eunti.
Hactenus hæc liquidò conſtant. Iam quæritur: Iſte,
Qui lapidi eſt vetitus motus (quem nempe teneret,
Ni vis retraheret contraria) quæritur, inquam,
Num ſit deficiens: Nimirum, ſi foret expers
Ponderis omnino lapis ille, an rurſus eidem
Vis aliqua obſtaret ſic moto, ipſumq; cieret
Oppoſito niſu. Quod ſi aſſeris, vſq; redibit
Quæſtio; namq; eadem cauſa eſt, atq; omnia vtrinq;
Sunt paria. Ergo illud poſtremò relinquitur, vt ſit,
Non vtiq; expirans paulatim, ac deficiens; ſed
Æqualis ſibi met ſemper. Quippe impetus ille
Impreſſus ſemel, à nullo tunc læditur hoſte.

Carmine propoſitum. Atqui, inquis, veriſſima
ſunt hæc,
Si nempe ingenitâ ad centrum grauitate ferantur
Corpora, vt à mundi exortu res credita. At iſtud
Gaſſendus tibi, parq; illi Carteſius vſq;
Contendent, aliam ſeriem atq; exordia rerum
Commenti. Ergo illa aut vncis apprenſa quibuſ-
dam,
Atq; catenatis atomis rapiuntur ad ima,
Aut quadam rapidi vi turbinis extruduntur.
Quare, vbi deſierit vis illa, extrinſecùs ijsdem
Adueniens, iter inſtituent æquabile; quamuis
Et centrum, & mundi moles illæſa ſuperſit.
Hæc illi. Aſt alium liceat mihi fingere quendam
Hoſtem de triuio, quo cum certamen inire
Liberius poſſim; nec enim decet hoc pugilum par
Nobile cum vulgo in mediam deſcendere arenam.
Huc ades ergo. Peto, num, ſi duo corpora libræ
Lancibus inſidant hinc inde æqualia prorſus,
Exactè à puncto medio ſuſpenſa, peto, inquam,
Num paria hinc atq; hinc credas momenta futura
Vt neutrum neutri præſtet cedatue? quid inquis?
Certè aſſentiri vel nolens cogeris; aut ſi
Præfractè id renuas, terrarum quantus in orbe eſt
Indigenûm cenſus iuſtâ te exſibilet irâ;
Teque olitor, lanio, tonſorq;, puerq; triennis,
Fœmina quæq; rudis, docti indoctiq; furentem
Ex hominum cœtu numeroq; faceſſere cogant.
Id mihi ſponte, reor, concedis. Iam peto rurſum,
Teque oro; Vnde habeas, librata hæc pondera
vtrinq;
Manſura? vnde ſcias? inquam. Nam cætera turba
Cauſam habet in promptu; paribus quòd nempe
deorſum

Viribus ingenitis tendant. Æqualia quippe
Vtraq; cùm ſint omnino, pariterq; remota
Ex æquo à centro libræ; conatibus æquis
Vrgent iccirco ſeſe, librantq; viciſſim;
Nec ſecus id poterit contingere. Non ita porrò
Prompta tibi eſt ratio, cui vis extrinſeca prorſus
Hoc præſtat munus. Nam qui ſcis (corpora quamuis
Mole pari extiterint) iccirco æqualiter iſtis
Impactis vncis, niſu, & vi prorſus eadem
Hinc atq; inde trahi? quî ſcis vim turbinis illam,
Quâ non pugnantum ventorum implexior vlla,
Æquam vtrinq; fore? externo res vertitur iſta
Arbitrio & nutu, atq; adeò formidine plena eſt,
Aſſenſumq; nequit cuiquam extorquere; nec ipſe
Hinc poſſis liquidò verum iſtud cernere. Nam ſi
(Finge tibi) ex Indis veniens, aut vltimâ ab Arcto
Circitor, ignotæ regionis mira recenſens,
Imponat vulgo, ſaxa illic iacta per auras
Interdum obliquare vias, conſiſtere ſæpe
In medio curſu, non rarò aſſurgere in altum
Sponte ab humo: Hunc certè largo effuſoque cachinno
Comploſis manibus ridebimus. At tibi mirum
Ex iſtis nihil acciderit. Promptiſſima cauſa
Illico erunt torto corpuſcula deuia curſu
In latus: Et quæuis blaterauerit ille, oculisq:
Viſa ſibi iuret; ſoluendis illico nodis
Intrepidè cunctis (nam quid non deniq; ſoluas?)
Præſto aderunt atomi. Non ergo hinc pondera poſſis,
(Vt redeam ad litem) non, inquam, hinc pondera poſſis,
Corporibus certo modulo præſcribere. At, inquis,
Non

Non hinc arguimus; Sed cogimur inde fateri,
Quòd manifeſta oculis ſit res. Æqualia quippe
Corpora vbi fuerint, toties librata videmus:
Atq; , his perſpectis, tum demum reddere cauſam
Nitimur. In pedicas atq; oblita vimina viſco
Irruis, vnde ægrè pennas exſoluere poſſis.
Nam quî ſcire queas (quoties librata quieſcunt
Corpora) an exactè tum ſint æqualia? Nam, ſi
Alterutri quidquam plus iuſto dempſeris, actum
eſt,
Quantumuis minimum deſit. Quî cernere poſſis
Num libra à medio ſuſpenſa? an brachia vtrinq;
Æquè denſa, pari ſub mole? an libera prorſus?
Num tacita ærugo obſiſtat? quæ Sphynx queat
iſta
Rimari intuitu, quæ perſpicienda tamen ſunt
Vt manifeſta oculis res ſit? Non ſenſibus ergo
Hauſimus iſta, ſed ingenito nos lumine ſolers
Inſtituit ratio. Nec enim exactiſſima libra
Fors vnquam extiterit, nec corpora prorſus eadem
Prædita mole, nec vlla vnquam experientia teſtis
Adduci potuit. Redit ergo quæſtio prima
Vnde ſcias? Puerum quinquennem interroga,
eburnis
Propoſitis globulis æqualibus: Ille, priuſquam
Rem librâ expendas, quam nunquam viderit olim,
Ilicet intrepidè paria hinc atq; inde futura
Afferet haud dubius momenta, quòd inſita vtriq;
Sit grauitas eadem. Sic illum nempe magiſtra
Natura inſtituit: Sic illum ab origine format.
Nec præiudicia ætatis de more cauenda
Obijcias: Scimus quò demum hæc nænia tendat.
Et fortaſſe aliquis natiuum extinguere lumen
His cupiat nugis, quò circumducere cæcas

 Ad

Ad libitum poſſit prærupta per inuia mentes.
Poſtremò nodus ſupereſt tricoſior. Illa,
Quæ lapidem rapiunt corpuſcula adunca deorſum,
Sponte-ne deducunt ad centrum, an & ipſa trahuntur?
Si primum: ergo illis, quâ tendere ad infima poſſint,
Inſita & ingenita eſt grauitas, nempe impetus ille,
Qui trahit ad centrum. Cur ergo & corpora eundem
Non habeant pariter niſum? Sin ipſa quoq; vncis
Indigeant alijs; eadem de his quæſtio rurſum
Perpetuo ſemper reditu inſtaurata reſurget.
Non igitur grauitas extrinſecùs aduenit vllis
Corporibus: Quod erat mihi deniq; demonſtrandum.
At nondum ad votum perſpexeris hæc, niſi diſcas
Cur grauia ad centrum conſtanti lege ferantur.
Nam quid habent illic, quæſo, quod denique poſſit
Ipſa adeò allicere? An ſedem, quâ fortè quieſcant?
At ſedes anguſta nimis, conceſſaq; nulli,
Scilicet exiguum punctum. Num cuncta tumultu
Iccirco properent tanto connixa viciſſim,
Conatuq; ipſo impediant ſibi deniq; metam?
Nimirum eſt aliud quiddam, quod corpora vellent,
Ingenitiſq; priùs tentant conatibus; atq; hinc
Impetus ad mundi centrum conſenſibus æquis
Detorquetur. Id exemplo priùs exequar; Inde
Illud idem ſperem manifeſto in lumine coram
Siſtere. Sex igitur raro de ſubere cymbas
Finge tibi exiguas, in gyrum æqualibus interuallis diſpoſitas, quas pura, quietaq; lympha
Suſti-

Suſtineat; totidemq; pares tibi fingito ijſdem
Magnetes ſuperimpoſitos, vt quiſq; ſodalem
Pertrahere ad ſeſe valeat. Tunc viribus æquis,
Vt primùm data libertas, de more viciſſim
Contendent ſibi met concurrere. Sed quia in orbem
Diſpoſiti ex æquo diſtant, & tempore eodem
Perficere id prorſus vellent; cùm mutuò iungi,
Atque coire aliter nequeant; ſe protinus omnes
Dirigere ad centrum, atq; illuc contendere verſo
Impete, conſilio quodam dictante, videbis.
Nec tamen iccirco credas conatibus illis
Appetere hoc punctum, aut illic ſperare quietem;
Sed quadam veluti ingenitâ ratione coactos
Conſpiraſſe ſimul, quò ſe contingere poſſent.
His ita perſpectis; tibi finge hæc omnia latè
Vndiq; ſub cœlo concurrere velle viciſſim
Inter ſe, quamuis diſtantia, tempore eodem,
Non ſecus ac paleis electra, hydrargiron auro,
Et ferro magnes, & cera hiſpana papyro.
Tum ratione pari confeſtim fœdere quodam
Omnia perſpicies punctum conuergere in vnum.
Hactenus hæc claro manifeſta in lumine cernis.
At duo ſunt, inquis, iam conſtituenda. Quòd omnia
In primis cupiant ſibi corpora mutuò iungi:
Deinde quòd vnanimi ſtudio concurrere eodem
Tempore nitantur. Nodum mihi ſoluere vtrumq;
Aggredere. Aggredior: Sed te priùs id rogo ſupplex
Vt neutram in partem tibi mens inclinet, vt æquas
Hinc atq; hinc ratio ſuſtentet libera lances.
Finge itaq; ex tot corporibus, queis machina vaſti

Conflatur mundi, finge, inquam, nil ſupereſſe
Ex iſtis, præter tellurem. Cætera verò,
Scilicet aëreos tractus, & ſydera, & ipſos
Stellatos orbes, & quicquid cernimus, omnia
Diſperſa in nihilum, deleta, abſorptaq; cuncta:
Namq;, vt principiò ſtatui, datur iſta poteſtas.
Tum lapidem ex alto demiſſum intellige, inane
Per ſpatium. Hunc grauitas innata, vt vidimus, imum
Deferet ad centrum terræ. Nihil hiſcere contra,
Nil huc vſq; potes, niſi iam conceſſa retractes.
Rurſum alium lapidem demiſſum intellige, triplo
Maiorem. Hic pariter, velut alter, ad ima feretur.
Sic alius pariter quoq; maior. Denique quicquid
Ponderis adijcias, delabi ſemper ad ima
Proſpicies animo. Hoc etiam conceſſeris vltro;
Et fortaſſe etiam grauiori à pondere credas
Deſcenſum augeri potiùs, quàm poſſe vetari.
Auge itaq; vsq; adeò, vt terras iam prorſus adæquet,
Vt gemini exiſtant orbes telluris, vtrinq;
Æmuli, vtrinq; pares penitus, prorſusq; gemelli,
Immenſo circumfuſi latè vndiq; inani.
Iam rogo: num deſcendet adhuc, veluti priùs? Hic te
Nonnihil hærentem video implexumq;: Quid inquis?
Quid tecum reputas? quid mente animoq; volutas?
Fortè neges? atq; immotum conſiſtere vtrumque
Tum fortaſſe velis? At molem ac pondera ſenſim
Auximus, atq; oculis deſcendere ad ima deorſum
Perpetuò hunc lapidem creſcentem huc vſque videbas.
Cur ergo, vt primùm terrarum æquauerit orbem,
Pro-

Protinus iniecto veluti ſubſiſtere fræno
Tum primùm incipiat? Num tantâ mole ſuperbus
Dedignetur ad obſequium demittere ſeſe,
Contineatq; gradum? Quod ſi deſcendere perſtet,
Vt priùs, idq; velis; rogo te, cur hic nouus orbis
Ad veterem potiùs tendat? cur non prior ille
Tendat ad hunc potiùs, cùm ſint paria omnia vtrinque?
Forſan in immenſo credas exiſtere inani
Punctum aliquod, quod iure ſuo trahat illico quicquid
E nihilo eruerit Numen? Non iſta fateri
Æquo animo poſſis, nec tricis liber ab iſtis
Impunè exieris, niſi des concurrere vtroſq;
Tunc orbes (quanquam iam pridem, diſpare quamuis
Mole vtcunq; forent, concurrere vterq; viciſſim
Cœperat ad ſtaticæ leges, vt nempe minori
Impetus & curſus maior foret, ordine verſo.
Verùm iſtud differre iuuat, ne pondere iniquo,
Et rerum cumulo tibi mens conferta grauetur)
Ad cauſam redeo. Cùm iam conceſſeris orbes
Hos geminos concurrere; iam dabis ergo lapillos
Hoc itidem præſtare duos: modò cætera quæq;
Abſorpta in nihilum fuerint; dein tres quoque eadem
Lege occurſuros dabis; & dabis inſuper vltra
Quotcunq; è nihilo eductos prodire ſubinde
Videris. Ergo vides, paulatim denique mundo
Reddito in integrum, ſingillatimq; vocatis
E nihilo rebus, concurrere cuncta viciſſim:
Quod fuerat primò ſtatuendum. At cernere nondum
Hinc potes, vt punctum tendant iſta omnia ad vnum,

(Quod iam propoſitum fuerat) niſi cuncta viciſſim
Corpora nitantur concurrere tempore eodem.
Id porrò euincam, ſpero, ſi corpora eodem
Tempore conueniant ad centrum, diſſita quamuis,
Ex interuallo quouis. Hinc quippe neceſſe eſt
Vt prior ille etiam concurſus mutuus, vnum
Prorſus, idemq; petat ſibi temporis interuallum.
Id ſupereſt vnum nobis, labor vltimus hic eſt.
Summe opifex rerum, cuius mira abdita ſancto
Terrore ingredior, qui nutu cuncta ſuperno
Conditor e nihilo eduxti; meq; addere rebus
Inſuper hiſce tuis partem, miſerate, dediſti;
Da faciles aditus ſacra in penetralia veri,
Quò te, rerum auctor, mortales territi adorent,
Agnoſcantq; Deum. Tu nigras diſcute nubes,
Tu pauidos greſſus, tu cæcam dirige mentem.
His rite obſequijs domino auctoriq; ſolutis,
Huc ades, atq; animos derersâ nube ſerenos,
Et curis vacuos mihi præbe. Hanc aſpice libram
Inſertis vtrinq; globis ex ære rigente
Vtriq; extremo; quorum alter mole ſodalem
Excedit decuplo: decuplo ſed longiùs alter
A centro libræ, versâ ratione, recedit.
Hos ita diſpoſitos conſiſtere vtrinq; neceſſe eſt
Momentis paribus libratos: Idq; fateris;
Quippe Syracuſius quondam hæc miranda recluſit
Inuentor ſtatices mortalibus Archimedes.
Hanc igitur libram ſuſpenſam mente deorſum
Defer, vt in centro mundi librata quieſcat,
Centro inibi quoq; fixa ſuo. Tum pondera ibidem,
Momentis æquis hâc ipsâ in ſede retentis,
Vrgebunt ſeſe, neutro ſuperante, viciſſim.
Iam rogo; Cur decuplo maior globus ille minorem

Oppo-

Oppoſito nequeat niſu detrudere, quanquam
Corpore conetur decuplo? Quî fiat, vt alter
Præfractè obſiſtat contra? Conatibus ergo
Mutuò contendunt inter ſe æqualibus. Ergo
Ille minor quantùm decreſcit corpore, tantùm
Viribus excellit, defectumque impete ſupplet.
Segnior ille prior, longè iſte animoſior. Vt, ſi
Tres tibi nocturni fures conuellere poſtes
Nitantur, tuque obnixo in contraria tergo
Reſtiteris; triplo maior quàm cuique latronum
Impendenda tibi vis eſt: Ni feceris; illi
Impete diſcludent valuas. Haud ſecius iſti
Obuerſis globuli luctantur viribus: Hinc ſe
Ex æquo trudunt: Hinc librâ exemptus vterque
Confeſtim ad centrum concurrent tempore eodem,
Quantumuis ſpatio decuplo minor altiùs extet.
Quippe interuallo reſpondet prorſus vtrique
Impetus, augeturque auctâ diſtantiâ, iiſdem
Legibus. At ſimili ratione & cætera quæque
Corpora peruenient ſimul omnia tempore in vnum
Ad mundi centrum. Hinc relegens veſtigia retro
Arguo, eos niſus, natu & ratione priores,
Queis ſibimet cupiunt concurrere corpora; eodem
Tempore velle ſuos vrgendo abſoluere curſus:
Quod quia non poſſunt, reflectitur impetus vnum
Ad punctum; atque illuc ſimul omnia tempore eodem,
Diſſita quantumuis, diuerſâ è ſede feruntur.
Hinc quid ſit grauitas noris, nempe impetus iſte
Ingenitus rebus, punctum reflexus in vnum.
Nec te decipiat quòd ligno & marmori, eadem
Sub mole, haud par ſit grauitas; hoc namque ideo ſit,
Quod

Quòd quantò grauius, tantò quoque denſius vnum
Eſt præ alio; ſiue interſperſum id præſtat inane,
Seu minus aut plus materiæ ſpatio ſub eodem.
Sed neque te fallat, globulus quòd paruus ab alto
Tardiùs ad terram veniat, quàm maior, eadem
Demiſſi è turri. Expanſum folium quoq; chartæ
Segniùs inde cadet, quàm ſi agglomeraueris illud
In globulum exiguum; quòd magnâ ex parte ſit illi
Tunc exempta ſuperficies. Haud ſecius, auctâ
Mole globi, haud quaquam modulo quoque, creſcit eodem
Ambitus, vt geométra docet; Sed, pro ratione
Creſcentis ſolidi, minor eſt cutis extima, corpus
Quæ tegit; atq; adeò minùs officit aura cadenti.
Contra autem tenuis puluiſculus aëre longas
Vſque moras trahit, & varijs ambagibus errat.
Hæc obiter monui, ne (quod fit ſæpe) ſerenum
Prætenta impediat tenuis nubecula ſolem.
Sed quoniam veri lux improuiſa latentis
Perſtringit radijs oculos, aciemque retundit;
Eſtque tibi portenti inſtar, quòd tempore eodem,
Seu lapis è turri, ſiue idem lapſus ab aſtris,
Ad metam grauium deſcendat; rem tibi eandem
Luce nouâ illuſtrem conabor reddere: quanquam hæc
Pierijs numeris includere plectra laborent,
Quòd nequeat geométra ſuo diſcurrere campo.
Nec valeo niſi deſumptis popularibus vti
E triuio rebus, quas poſſim æquare canendo.
Finge igitur tibi mente globum, qualem ænea belli
Machi-

Machina ventre cauo clauſum gerit, ore vomendum:
Atq; ipſum in centro mundi tibi finge repoſtum.
Huic parte ex aliquâ minimum ſi ponderis addas,
Aut digito timidè percuſſeris exiguo ictu,
Ilicet à medio incipiet diſcedere puncto.
Quòd ſi ipſum æquato motu, dextraque ſequaci
Summoueas rectà, & ſurſum deducere pergas;
Tum ſenſim obniti contra, dextramq; grauari
Vrgendo, & pondus paulatim creſcere eundo
Concipies animo; ac demum cohibere renixu
Vix poteris. Grauitas igitur, ſeu niſus ad imum
Telluris punctum, qui nullus prorſus ibidem
Principiò fuerat, curſu agglomeratur in ipſo.
Quò fit, vt à centro quantò eſt diſtantia maior,
Tantò etiam vis momenti ſuperaddita creſcat.
Atque ideo æquali deſcenſum tempore, quouis
Ex interuallo fieri fateare neceſſe eſt.
Id potes exemplo vulgari addiſcere. Filo
Suſpenſus globulus puncto requieſcat in imo;
Quælibet aura mouet; Sed quò altiùs ille per arcum
Prouehitur, tantò grauiori pondere ſentis
Dextræ obluctari, & reditum affectare deorſum;
Quò fit vt æquali decurrat quoslibet arcus
Tempore, inæquales quamuis. Hoc prorſus in ipſo
Corpore contingit, quoties ſummoueris illud
A mundi centro, & ſurſum deducere tentes.
Nam ſi ſtellato defixa adamantina Cælo
Linea nexa globo fuerit, libramine iuſto
In metâ grauium poſito; dextraque ſequaci
Hunc procul a centro impuleris; non ille per arcus

Excur-

Excurret, quos tu valeas diſcernere ſenſu;
Sed recto in ſpeciem motu, ceu liber, ab imo
Diſcedens puncto prouectus in ardua tendet.
Et tamen, ad leges exactas penduli, eundo
Momenta acquiret ſemper maiora deorſum.
Verùm, inquis, ratio hinc quædam, & quędam veluti mens
Indita corporibus, ſenſuſque animuſque videtur.
Quod ſi vncis atomis eadem comprenſa trahantur,
Tum nihil ex iſtis affingimus. O bone! mentem
Cur ergo hanc ipſam & ſenſum in corpuſcula transfers?
Nonne vides vt ſponte ſuis egreſſa latebris
Ex imo centro contendant tramite recto
Ad lapidem emiſſum fundâ per inane vagantem?
Quem, veluti prædam, confeſtim mordicus hamis
Iniectis, penituſque poros ingreſſa patentes
Comprenſum vinclis retrahunt, ſecumq; deorſum
In ſua regna vehunt? Cur non illo impetu eodē,
Quo primùm incurrunt, non ipſum tramite recto
Vlteriùs pellunt? cur, prædam nacta, repentè
Conſilium mutant, rurſumque feruntur ad ima,
Inde iterum redeunt inſtructa tenacibus anſis?
Nonne iſta arbitrio quodam ſtudioque geruntur?
Namq; aliud quid agit, comprenſo fure, ſatelles?
At quò diſpicias hanc clariùs, & propiùs rem;
Finge tibi in nihilum rurſus iſta omnia verti,
Atque vnam ſupereſſe atomum dumtaxat inani
In ſpatio. Illa vtriq; in nullam ſe vertere partem
Sponte obnixa queat (nam quò ſe deniq; vertat?)
Huic igitur dubiæ, incertæq;, moraſq; trahenti
Finge

Finge aliam è nihilo egreſſam prodire ſodalem
Eminus extantem. Rogo nunc, an & iſta quiete
Torpeſcet ſimili? nam tertia quartaque eadem
Segnitie ac ſomno pariter ſopita quieſcet,
Nullaque ad officium naturæ operoſa iacenti
Præſtò erit. Ergo illa, vt primùm ſocia altera demum
Prodierit, monitu & ſenſu velut excita quodam,
Inſtituet curſum. Sed quò? nam terminus olli
Eſſe aliquis certus debet, ne inſana vagetur.
Verte omnes tete in partes; Nam denique in vnum
Cogeris inuitus concurrere vtramque fateri.
Aſpicis in noſtros vt te deducere ſenſus
Paulatim incipimus? Verùm par, inquis, vtrinq;
Occupat attonitum ſtupor, & nox obruit atra.
Nam quî iſtud fieri demum queat, vt lapis ille,
Aut atomus, torpens priùs atq; immota, ſodali
Protinus occurrat? qui nuncius admonet? aut quæ
Incitat improuiſa manus? Quid cætera cogit
Corpora, vt à centro quantum ſummota recedunt
Tantum inde acquirant momenti, vt tempore eodem
Conueniant? Verùm mihi prompta ſolutio nodi eſt.
Cogeris iſta, velis nolis, concedere. Libræ
Quippe inconcuſſæ iam vidimus omnia niti.
At cauſas, latebraſque illas, quas deinde requiris,
Perplexique moras nodi vox vnica ſoluet.
Aura, tibi hanc vocem committo, hanc defer in altum,
Si potes, ad Superos, & coram numine ſiſte,
Ingenij teſtem confusâ in nocte iacentis.

Neſcio.

Neſcio . Non (*a*) ipſe hoc poſſit penetrale ſubire,
Scacchia qui triplici certamine verſat eodem
Tempore ſummotus ludo procul, omnia mente
Complexus memori: Non qui (*b*) Viuianea ſoluit
Hugenijque obſcura ænigmata Lebnitijque;
Nec geometriæ vinclis (*c*) qui claudere motum
Inſtitit, implexum ſperent diſſoluere nodum.
Nec pudet ignorare. Decet caligine opacâ
Maieſtatem operis tanti ſub nube latere,
Abſcondique magiſterium. Te ſcrupulus angit
Atque vrit tenui (ſi cætera conſpicis) in re,
Securuſque trabis, paleâ terreris inani;
Vt qui longæuum percuſſit fuſte parentem,
Argentumque latrocinio ſacrum abſtulit aris,
Deinde timet, luſtralis aquæ ne quinque vel octo
Exciderint guttæ è digitis in limina templi.
Namque alio certè ingenio genitricis in aluo,
Ignarâ genitrice ipsâ, molimine clauſo
Formatur fœtus. Quæ mens tot digerit artus?
Vt venæ, vt fibræ tot in vſus, ordine tanto,
Diſpoſitæ? vt partes nexæ inſertæque viciſſim,
Exactis adeò numeris, ſolertiâ, & arte?
Ingenio-ne ſuo? quid ais? Lapidum-ne cadentum
His conferre queas leges? Plena omnia cernis
Conſilio, & ratione; Sed artificis tamen vna
Eſt mens, conſilium, & ratio, quæ cuncta gubernat.

Poſtremò, quod diſtuleram, nunc accipe; Nempe

Si

(*a*) *Hieronymus Saccherius è Soc. Ieſu, Lector Math. in Ticinenſi Vniuerſitate.*

(*b*) *D. Guido Grandus, Monachus Camaldulenſis, Lector Philoſophiæ in Piſana Vniuerſitate.*

(*c*) *Ioannes Ceua meus frater.*

Si duo inæqualis ponantur corpora molis
In rerum nihilo, ſibi concurſura viciſſim
Vtraque, ſed versâ ratione; vt nempe minori
Sit præ alio curſus tantò velocior, ipſam
Quantò infra eſt molem alterius. Finge vtraq; filo,
Diſſita quantumuis, coniungi adamantino, vt vnum
Ex geminis corpus coaleſcat. Iamque puſillus
Hinc tibi proueniet Mundus: nam cætera cuncta
Fingimus abſorpta in nihilum; Atq; ideo, velut iſtâ
In rerum ſerie nituntur corpora quæque
In metam grauium; haud aliter tunc illa duo vnum
Vrgebunt ſeſe in centrum librata viciſſim.
Ergo (vides) quantò moles erit amplior vni,
Tantò erit hinc motus vice versâ lentior, atq;
Languidior; Secus adnexum propelleret vltra,
Iugiter vrgendo, ſocium, & per inane fugaret
Æterno impulſu: vt nauis, ſi incurrat eundo
In cymbam contra venientem, flamine venti
Delatam, atque æquè velocem, protinus illam
Mole perexiguam ſecum rapit æquor in altum.
Quantò igitur præſtans ingenti corpore pondus
Maius erit, tantò euadet conſtantius, & vi
Ingenitâ ſtabit ſibi nixum firmius. Hinc fit
Vt mole immensâ, atque immani pondere Mundus
Conſiſtat; nec eat grauibus ſponte obuius vllis,
Sed ſtans aſpiciat labentia corpora ab alto.
Hæc mihi iam verſata diu. Hinc penitus Galilei
Mobilium emanant leges; hinc illa cadentum
Exoritur ratio ad ſeriem imparium numerorum;
Hinc geometriæ quamplura recondita nobis
Ex improuisò in lucem venere reperta,
Cunctaque iam longo ſtudio ſibi conſona vidi.

DIS-

Attrectare manu, ſiquid fortaſſe teneri
Prenſariue queat.
Finge ergo, hos præter niſus, queis corpora quæq;
Vndiq; conantur deſcendere ad infima mundi;
Finge alios quosdam diuerſis rebus ineſſe,
Queis ſeſe fugiant nonnullæ, aliæq; viciſſim
Nexibus, & nodis ſeſe amplectantur amicis;
Non tamen è ſpatio quouis, ſed, limite fixo,
Ex interuallis certis, ceu mobile ad aurum
Conuolat argentum, atq; alia innumera. Hinc tibi motus
Perpetuus fortè exurgat, retrahentibus illis,
Aſt alijs contra reuocantibus; hinc fera bella,
Et plexus varij, atq; à centro deuia ſæpe
Nunc hæc nunc illa, hinc lites, permiſtaque cuncta.
Nec tamen hæc ſtatuo, longo meditanda receſſu
Ad leges certas; ſed quadam indagine fingo:
Quæ, niſi conueniant rectè ſcitèq;, relinquam.
Verùm Epicuri, inquis, ruit hinc reſpublica, cui lex
Immota & ſtabilis, præter motum atq; figuras,
Nil aliud poſci: Atq; adeò natura quibusuis
Vna eademq; atomis danda eſt, diſcrimine nullo.
Nam ſpecies varias ſi finxeris, illico regnum
Obtineat vetus illa, putris, macieq; pereſa,
Exploſa, exoſa, atq; huius iam fabula ſecli,
Illa, inquam, (at quænam? dic ocyùs, obſecro) *Forma*.
Forma malum, quo non terris præſentius vllum,
Monſtrum horrendum ingens, egreſſum in luminis auram
Ex antro, abſtruſum dumis, latebrisq; Stagiræ,
Vinctum olim, maculoſa velut panthera, columnæ,
Rauci-

Raucisonis implens clamoribus atria Athenis.
Non ita pannoſam tunicam, hirſutumq; cucullum,
Et clauſtra, & cinctum è corio vel fune gregales
Caluini exhorrent, vt formas, & Peripatum
Exculta ingenia, & doctis congreſſibus arcent.
At paulùm ſubſiſte, rogo: nam Mexici odoro
Se prodit fumo, media inter iurgia, potus,
Qui lite eſt potior. Mentem inſtauremus vterq;
Nectare Palladio, quo non præſentius vllum
Iratos lenire animos, & tergere nubes
Affuſas cerebro. Vos ò, quos Martius ardor
Nunc agit armatis excurrere claſſibus æquor;
Heſperij ſiqua oceani eluctata procellas
Nauis ab extremis hanc mercem deferat Indis,
Secura huic maria, & tutos permittite portus.
Iupiter hoc hauſtu, ſuperis cùm bella moueret
Natio Terrigenûm, poſtquam de nube locutus
Concilio in magno, cyathis ſpumantibus altè
In patinis circumlatis, inq; orbibus aureis,
Dicitur excepiſſe Deos: quo munere læta,
Belligerantum inter diuûm ſæua agmina riſit,
Atq; ſuum pariter ſtrinxit Cithereïa telum.
Ergo ſublatis cyathis Parnaſſia versùs
Culmina, vere nouo teneris mihi florida lauris,
Hæc, (a) Grimalde, tibi libentur pocula, dona
Nempe tua: è noſtris quem nunc Vrbs regia Iani
Longinquum terris patrio tenet inclyta Cœlo:
Quo ſocio quondam, Naturæ arcana docente,
(Qui mores! qui candor erat!) tecto ſub eodem,
Tres mihi præcipites, rapidi inſtar fulguris, anni,
Quos minimè ſenſi, fugére. At tu, Libitina,
Auſa Grimaldeæ gentis decerpere nuper,
Romu-

(a) *Ioannes Baptiſta Grimaldus è Soc. Ieſu.*

Romuleo quondam tingendum murice florem;
Auſa deinde alio luctum accumulare priorem
Funere, quantumuis pietas tibi pectore nulla,
Tantiſper nigram ex oculis tibi detrahe vittam,
Mœrentemq; domum, Patriæq; dolentis amorem,
Quoſq; viros letho dederis, ſæua, aſpice. Luſtra,
Atq; annos totidem, quot nuper acerba (a) nepoti,
(b) Germanoq; ferox rapuiſti, huic te addere vitę
Par eſt, & longum permittere ſtamina in æuum.
Non aliter penſare queas crudelia fata.
At ſatis: ad pugnam redeo, litemq; reſumo.
Formam igitur, primæque vocabula materiai,
Atque alia id genus horreſcis ludibria ſecli.
At bona verba. Papyraceis vin' tu duodenis,
Puluere Braſilico fartis, certare cilindris,
Aut totidem lectis è Mexici aromate quadris;
Si te ego, tete, inquam, Peripati hunc denique morbum
Hiſce tuis atomis hærentem admittere cogam?
Huc ades, atq; hæc ſcitanti mihi diſſere. Primum
Hoc peto, num cuiuis atomo quidam impetus inſit
Ingenitus, quo ſeſe agitet, curſuſque recurſuſq;
Inſtituat varios? Hoc, inquis, cardine tota
Rerum agitur ſeries: Gaſſendi huic machina, & omnis
Incumbit moles: Nam ſi corpuſcula ponas
Torpida, nil fiat. Rurſum peto an impetus iſte
Sit teres, an ſcaber, an durus? cubica-ne figurâ
Conſtet, an octaëdra? quid ais? Deliria rides;
Namque aliud quiddam eſt diuerſum prorſus, & expers

Cor-

(a) *Octauius Grimaldus.* (b) *Io: Iacobus Grimaldus F. Alexandri, q. Reip. Genuenſis Ducis.*

An quoties tibi more nouo variatur amictus;
Iccirco internis, atq; cutis ſimul vſq; nouanda eſt?
Sit modus; atque aliquem ſeruet mens æqua tenorem.
Non ego nimirum compingi poſſe negarim
Particulis quædam varijs, quæ corpus in vnum
Conciliata, queant plexu poſituq; videri
Admiranda nouo. Sic cœnam in nube Deorum,
Vrbinatis opus, poſtquam ſpectaueris ore
Immoto, tibi contemplanda ſubinde tabella eſt
Pulticulis varijs, & grumis fœda colorum,
Quam gerit inſertam læuo de pollice pictor.
Hæc ſeries confuſa croci minijq; ſubacti,
Peniculo ducta in telam, radiantia tecta,
Reginamq; Deûm ſtellatâ in veſte nitentem,
Depoſitoque Iouem prandentem fulmine præbet.
Vſq; adeò ſitus, atq; ordo, iuncturaq; pollent.
Haud aliter variè miſtis natura elementis,
Diſpoſitisq: poris, cæcisq; meatibus; inde
Fortè dabit picturatis tibi marmora venis,
Forſan denticulos etiam mordacis aceti,
Atq; olei & gummi lentorem, & paucula quædam
Quæ poſſint macræ, ac ſteriles præſtare figuræ.
At non exemplis, ſodes, rerum omnium ab iſtis
Deſumenda tibi ratio eſt; neq; literulis quòd
Ex paucis tam multa vocabula conficiantur,
Inde ſupercilio elato deduxeris aptè
Legitimeq;, ergo ſimili quoq; cætera paſſim
Pertexi naturæ opera, abſoluiq; labore.
Finge etenim augeri corpuſcula ſingula duplo
(Namq; id mente potes facilè) Sic aucta deinde
Auge iterum atq; iterum, donec tibi ſingula mole
Æquiparent coctos lateres, & ſaxa varium

Multifida: id pariter facilè tibi fingere poſſis.
Ergo, vbi quæq; atomus ſic demum creuerit; oro,
Ex his congeſtis quid fiat? Nil niſi murus,
Credo equidem, & cumuli diuerſi, & plena tumultu
Orta ex concurſu lapidatio. Contrahe rurſus
Illa eadem in paruum, vt priùs. En tibi protinus ex his
Surgere equos, mugire boues, ſplendeſcere ſolem,
Conflari ſtellas, fontes, animantia, flores,
Et quidquid cœlum complectitur. Omnia porrò
Hinc tibi iam veniunt? Hæc cæmentaria nuper
Corpora tam ſubitò didicere puſillula mundum
Conficere? Hæc verò tantarum machina rerum,
Quam cæco obſequio poteras neſcire; puſillam
Ridiculamq; adeò tandem tibi deſinit in rem?
Sunt quædam interdum falſa atq; abſurda tuenti,
Quæ tamen haud poſſis adeò vſq; refellere, vt armis
Depoſitis veniam & vitam aduerſarius oret.
Mens tamen æqua videt quàm recto à tramite veri
Longè abeant, atq; ingenitâ à ratione recedant.
Præbe animos mihi ſedatos tantiſper, & omni
A præiudicio exemptos. Puluiſculus iſte,
Quem mortariolo contuſum conſpicis, albo
Dilutus vino, poſt cœnam ſumptus, opacis
Anxia corda leuat nebulis; tum roſcida inumbrat
Paulatim cerebrum nubes; Hinc lenis obortus
Somnus in auroram trahitur; quo deniq; terſo,
E ſtrato ſurgis generoſior Hercule; cruſtum
Continuò Cereris poſcis cum flore meraci:
Dein famulo emptori committis prandia, orexi
Singillatim eſcas dictante; Ac deniq; vires
Exeris

Exeris in ſaltus: læta omnia, fauſta, beata.
Hic alius contra: ſimilis licèt vſq; priori,
Et geminus prorſus, quantùm ouo conſimile ouum,
Et ceraſum ceraſo; tamen exitiale venenum eſt.
Hoc tibi, per cæcum errorem, fataliter hauſto,
Illico lethalis ſopor ingruit, obruitur mens,
Inde atri vomitus miſti ſingultibus, ora
Plumbea, liuentes maculæ, gelidiq; per artus
Sudoris guttæ; mox denſus anhelitus, & nox
Interfuſa oculis: tum demum nuncia mortis
Deliquia. Hinc nati, & famuli, hinc ſoror, ægraq; coniux,
Confuſæ luctu; hinc prope ceruicalia Myſtes,
Accensâ cerâ cum ſacri aſpergine roris.
Tandem animam, extremis luctatus viribus, efflas:
Tota repentino vicinia territa caſu
Per fora perq; domos vario rem murmure narrat:
Atq; hæc cuncta vno confecta tragœdia ſole.
Vnde adeò gemini diſcrimen pulueris? vnde?
Per ſuperos rogo. Particulis nempe ille rotundis
(Reſpondere auſit quiſquam) conſtabat? at iſte
Particulis quadris? Capiti cane talia, demens,
Sanando Anticyris. Ne quis mihi, Iupiter, ægro
Adſit veſpillo medicus, qui talia cæco
Abſorbere animo poſſit; cui caſeus, & lux
Particulis conſtent ijsdem; demptisq; figuris
Diuerſis, nihil eſſe putet diſcriminis inter
Res ipſas. Non hæc certè minùs abſona monſtra,
Quàm ſi cauſidicus, iuſta illa atq; optima iura
Eſſe velit, quæ ſint cubicæ propiora figuræ,
Quæ motu æquato, lento, rectoq; ferantur
Legislatoris de codice, tramite longo

Deducta, ac demum quadratâ in ſede quieſcant.
Ergo (velis nolis) dandum eſt (vt de impete nuper
Oſtenſum) quędam diuerſis rebus ineſſe
Indita principia, vt viuis animantibus inſunt,
Vnde fluant velut ex occulto cætera fonte.
At toties cantata redit iam nænia: mentem
Ingeniumq; ſecus tribui rebus ſine ſenſu.
Cur autem? Quòd nempe, aiunt, ſi in pulueris ollã
Nitrati fortè inciderit ſcintillula; forma
Confeſtim flammæ, monitu velut excita, coram
Improuiſa adſit. Ne rurſum hanc ingere crambem,
Te quæſo; In te ipſum redeunt hæc tela retorta.
An tua fortuitò corpuſcula mota vagantur
Inſtar crabronum, cæcisq; incurſibus acta
Conficiunt caſu res cunctas? Non ita certè.
An Deus ipſe manu, ceu nutrix ſedula paſſus
Infantum nondum firmos, ad ſingula quæq;
Has ipſas atomos regit ac mouet, vt typotheta
Arte caracteres dum verba ad ſingula iungit,
Aut veluti filis in ſcenam icunculæ aguntur?
Id quoq;, credo equidem, nunquam conceſſeris. Ergo,
Cùm neque vi externâ, nec cæcâ ſorte ferantur;
Et parte ex aliâ videas tanto ordine cuncta
Conſilioque opera in lucem prodire; quid infers?
Ingenium-ne atomis, & vim rationis ineſſe?
At tu poſtremò Carteſij in intima regna
Vorticibus circumſeptus ſubduceris; atque huc
Machina nulla, inquis, nec vis ſeſe inferat vlla.
Per me vtiq; hâc tutò tibi fas conſiſtere in arce,
Nil ſiquidem aduersùs contendam; dummodo, vt auctor
Ipſemet ingenuè ſummiſſâ fronte fatetur,

Tu quoque pronus humi, diuina arcanaque adorans,
Non ita diſpoſitam naturam à numine credas,
Sed quoddam meditantis opus rude, quale miſelli
Mortales tentare queant. Sin prorſus idemmet
Conſilium ſummi artificis, mentemq; ſupernam
Indagaſſe putes; aut illum, ſuppare ſaltem
Inuento, certaſſe velis cum Numine; faſtum
Tunc execrandum auerſabor & impia dicta.
Namque opus ipſe ſuum Deus abdidit; idque diſertè
(a) Aſſeruit nunquam inuentum â mortalibus iri.
Nec me homini infenſum repures, quem vexit ad aſtra
Fama ingens meritò; quòd nempe in ſacra matheſis
Arcana, ignotum per iter, deducere primus
Mortales potuit, quò greſſum inferre vetuſtas
Nunquam auſa. Hinc illi partum decus; hinc (b) opus illud
Æternis lauris vinctum, immortalibus aris
Ipſa ſuo, ipſa, inquam, defixit gloria Templo.
Tu verò huic vaſto pelago committere primò
Debueras puppim. Verùm tibi fortè procella
Littore ſoluenti, noxque improuiſa repentè
Ingruit. Hinc trepidè quantocyùs humida nimbo
Vela retorſiſti; nec te maria aſpera rurſus
Tentaturum olim cymbâ, Libycoſque ſonantes,
Iuraſti tacitè per cæruleam Amphitriten,
Neptunumque tridentigerum vada ſalſa tenentem,
Votiuâ appensâ ante aras fortaſſe tabellâ.
Nunc demum liber, multo mihi turbine verſam

(a) *Eccl. c. 3.*
(b) *Geometria Carteſij.*

Materiem in gyros memoras; nempe illud inane
Immenſum ſpatium, quod nobis fingimus; atque hinc
Attritu aſſiduo (prolixa eſt fabula) natos
Orbiculos quoſdam, ramenta, & ſegmina quædam,
Deciduamque ſcobem; atque ex his, velut ex elementis,
Sydera conflata, & terras, volucreſq; feraſq;
Arduus ore ſonas. Nec fas obſiſtere contra
Vnanimi conſenſu hominum, quibus iſta poëſis
Auribus arridere nequit. Quippe ocyor ipsâ
Materie in gyrum versâ, velut vrſus in antrum,
In præiudicia à primis vagitibus hauſta
Continuò fugis; atque iſtâ concluſus in arce
Tutus inacceſſuſque latens iacula omnia rides,
Liuoremque putas bilemque quòd hiſcere contra
Quiſquam auſit. Iuſto, precor, ingenuoque dolori
Da veniam. Diuinum iſtud, quod ſuſpicis; iſtud
Admirandum opus auguſtum (vox exeat ore
Libera) crediderim-ne vnquam fore prorſus id ipſum
Quod piſtor nocturnus agit ſub fornice nigro,
Cùm ſedet ad mactram, cùm ſibilat, aut canit ore,
Dum cribro interea ſetaceo in arcâ abiegnâ
Diſpoſito, in gyros fractos triquetro axe rotato,
Pars molitæ Cereris ſubſidit craſſior imo
Furfur iners alueo, pars tenuior auolat altas
In ſedes, recidenſque alias aſcendere rurſum
Particulas vario contortas turbine cogit?
Nam quid præterea ſecus egit conditor huius
Auguſtæ molis, ſpatio circùm vndique verſo

In

In gyros varios? Nimirum, exinde retractâ
Cùm ſtetit ille manu contemplans ecquid ab illo
Attritu ingenti prodiret; Sydera ſponte
Accendi cœlo, ſenſim luceſcere ſolem
Ac Lunam, & terras paulatim emergere vidit?
Non aliam, niſi motoris, faber ergo ſupernus
Partem opere in tanto ſibi vindicat? Vnicus iſta
Tam variè, ac ſcitè confecerit omnia turbo?
An, ſi ceruſſam pictor miniumque molari
Dum terit in gyrum ſaxo, ſubigitque colores
Vorticibus facilè addiſcendis; inde relinqui
In lapide expreſſum florem, aut arbuſta videres,
Atque artem hanc ipſam quiuis dignoſcere poſſet;
Hunc tu pictorem eximium ſummumque putares?
Non opus hinc mundi pariter vileſcere ſentis?
Non verti obſequia in riſum? non denique menti
Inſediſſe velut ſtolidum ſomni ſimulacrum?
Longè alio ingenio ſtudioque horaria certè
Machina conſtruitur: Maiori indagine, & arte
Fœmina pingit acu telas: Solertia fœdis
Denique araneolis, apibuſque induſtria maior.
Deinde quid hinc lucri? Nil prorſus. Quod Peripato
Obijcitur toties, quadam virtute latente
Perplexos nodos, atque ardua quæque reſolui;
Hoc itidem præſtas. Nam quidquid denique rerum
Abs te quæſierim; globulis, ſcobe, ſegminibuſq;,
Quæ nemo videat, miſerè extricare laboras.
  Verùm, inquis, ſyſtema nouum fas cuiq; volenti
Cudere pro libito. Sic leges iuraque cœlo
Aſtronomi noua præſcripſere; nec inde putandum
Orbibus iccirco verſari prorſus ijſdem,
Quos illi arbitrio ſtatuerunt, more recepto.

Nam veri ſpecies, quoties nil poſſumus vltrà,
Ipſa etiam placet, vt vitrum pro diuite gemmâ,
Vt picti minio flores, & cerea poma.
Cur non Carteſio id pariter licuiſſe velimus?
Omnino licuiſſe volo. Quin obuius vlnis
Hoc ipſum excipiam; modò congruat vndique
vero,
Naturæque imitetur opus, paſſimque receptis
Senſibus à Mundi exortu reſpondeat. Atqui
Hinc mihi tota perit ſtatice, quam funditus aufert
Ille rapax turbo, vnde emendicanda ſubinde eſt
Corporibus grauitas, eademque precariò habenda
Externo à domino: Perit omnis vita animantum
Brutorum, ſenſu quouis animaque carentum;
Erroremque putas hauſtum nutricis ab vlnis,
Quòd credam ſentire canem ſua vulnera, fuſte
Percuſſum querno, miſerè queruleque latrantem:
Ergo his à præiudicijs vt libera ſit mens,
Conſtituenda tibi tam claro in lumine res eſt,
Vt dilucidiùs mihi conſtet, quàm fore viuum,
Et ſentire famem, fuſtiſque viæque labores
Quadrupedem obnixo dorso carpenta trahentem.
Nam facile eſt cuiuis ſyſtemata cudere, ſi, quæ
Exinde in ſolem veniunt immania monſtra,
Terriculorum inſtar nocturnorum eſſe velimus,
Errores nempe ingenitos, animiſque coæuos.
Principiò ſtatuenda igitur fundamina molis
Firma ſolo: In primis, ſpatium, quod fingimus
ante
Exortum mundi, non eſſe aliquid merum inane
Et purum nihil; Indè illud potuiſſe rotari,
Comminui, & frangi: Namque ipſum immobile,
fixum,

Et

Et ſtabile opponam. Quod ſi tamen vſq; moueri
Præcipias; alio id fieri in ſpatio, velut amplo
Immotoque loco, obijciam. Statuenda deinde
Perpetui ſeries motûs, ne machina ſenſim,
Viribus oppoſitis eliſo denique motu,
Obdormiſcat, & in ſemet defixa quieſcat.
Nec dabitur, quod ſponte rapis, quandam eſſe perennis
Menſuram fixam motûs, vt corpora quantum
Illius amittunt, tantundem in cætera, prorſus
Illæſo cenſu, præſcriptâ lege, refundant.
Centum alia exinde ad trutinam reuocanda tibi ſunt;
Quæ niſi conſtituas, latratibus vſque moloſſus,
Atque equus hinnitu contra, & pecus omne reclamet.
At contra inſurgis: Facilis iactura animantum,
Et ſtaticæ interitus; modò cætera corpora naſci,
Tellurem, æthereos orbes, ſolemque nitentem
Et lucem, & ſtellas videas. At nox mihi denſa
Officit, vt penitus nihil ex his cernere poſſim.
Nomina ſtellarum naſcuntur, nomina lucis,
(Quæ tu pro libito imponis) ſed nomina vana.
Verùm, inquis, quibus eſt animus menſq; acrior, iſta
Luce palàm manifeſta vident, mirantur, adorant.
Audi fabellam. Pictor promiſerat olim,
Exornandæ aulæ veteri, pluuialibus Auſtris
Fornice ſqualente atq; atro, promiſerat, inquam,
Arte nouâ mirabile opus, quod nemo videret
Ex vulgo ſtolido & craſſo; ſed cernere tantùm
Egregij artifices poſſent: murumque reliquit
Intactum ac nudum, veluti priùs. Inde coactis
Sollicitè ex totâ ſocijs pictoribus vrbe,

 Qui

Qui fraudem norant; palis & ponte refixo,
Expectata diu miracula protulit artis.
Illi, ex condicto, rem miram attollere cœlo,
Immotisq; oculis hærere: hærere, velut grus,
Ipſe etiam dominus, Bœotum de grege pingui,
Artificum intentus dictis. At cætera turba
Pars premere ora manu, fracto erumpente cachinno,
Quòd nihil extaret: pars toto quærere fruſtra
Fornice picturam: pars deniq; neſcio quiddam
Viſa videre ſibi magnum & mirabile, cruſtas
Inter, & antiqui maculas & vulnera gypſi.
Illuc conceptas animo transferre figuras,
Et vultus varios ſibi fingere, roſtraq; adunca,
Et Morpheum, & longis capita obuelata cucullis.
Quâ ſpecie illuſi miſeri, pictoribus illis
Eximijs, ſtudio concordi, adiungere ſeſe,
Luminibusq; carens reliquum contemnere vulgus.
Nunc ad rem venio; Nec enim fabella ad amuſſim
Intento quadrat, nec ad vnguem, atq; angulo ab omni
In rem tota cadit. Docti mirantur, vt æquum eſt,
Ingenium ſublime hominis, quòd, nemine cæcis
In tenebris præeunte hominum, molimine magno,
Quantùm mortalis poterat, compingere mundum
Ex integro auſus fuerit; quòdq; omnia ferme,
Quæ poterant quatere hanc molem, præuiderit ante;
Et varijs fulcire modis vtcunq; ruinas
Tentarit: Nonnulla vident quoq; proxima vero;
Vera etiam plura hàc illàc diſperſa nitere
Inſtar gemmarum atq; auri. Non attamen vllus
Con-

Cougruere icc irco naturæ talia cenſet;
Nec demens adeò quiſquam eſt, qui credere poſſit
Extare hanc ſeriem (non auctor credidit ipſe,
Aſſuetus ridere ſui molimina mundi)
At ſiquos nacti fuerint, quos ſentibus aſpris
Antiquæ Sophiæ nemus hirtum læſerit olim,
Vix delibato *blictri* florentibus annis:
His facilè & dulce eſt imponere. Turbine in illo
Cuncta vident iſti ſubitò manifeſta, virûmq;
In cenſum veniſſe putant trans nubila euntum,
Si tenues cineres Phœbeâ à luce relinqui,
Si luctas animi varias, iramq;, pauoremq;,
Atq; odium naſci quadam de glande cerebri;
Idq; genus noua combiberint arcana. Quod olim
Antiqui ſenſere ſophi, ceu ſordidi aheni
Ius pingue, vt tigni cariem, vt ruta cæſa, lutumue
Illico deſpiciunt; & aduncâ nare prehenſum,
Hinc atq; hinc verſum cum rictu, nec ſine ſputo,
Proijciunt; viſi prætextam depoſuiſſe,
Et ſumpſiſſe togam, ſapere & grandeſcere ſupra
Vulgus iners, priſcis vbi nempe incognita ſeclis
Ex peregrino aliquo figmenta excerpta libello
In medium tulerint. Scio me non tempori, vt eſt mos,
Deſeruire, nec ad Zephyros vertiſſe ſecundos
Vela, parum gratis vſus fortaſſe iuuentæ
Carminibus. Sed nec thuris piperiſq; cucullos
Sic metuo, vt valeam ſacri contemnere veri
Iura fidemq; datam. Quanquam verò iſta refellam,
Atq; abſurda rear: Non me tamen hiſpida quæq;
Porphyrij, ex Arabum denſis excerpta rubetis,

Nec Gothicis quæcunq; typis venalia proſtant
Simplicij, vt ſancti cuſtoditiq; penates,
Addictum teneant myſteria ſacra trementem.
Nam quo iure velis Peripati in gymnade Athenis
Duntaxat ſedem regnumq; habuiſſe Mineruam?
An, velut Adriacum rhombos mare, Aricia, porros,
Iluaq; fert chalybem, ſic olim illa atria verum?
Pernicioſa æquè nouitas, & cana vetuſtas,
Ni verum ingenuè, idq; vnum, mens libera quærat.
Ergo, vti quadrimo vino ſuperadditur hornum,
Vuaq; Phœbeos radios perpeſſa Nouembri;
Haud ſecus inuentis ſapientia priſca ſubinde
Inſtauranda nouis. Iam terror panicus ille
Exceſſit vacui, cuius formidine quondam
Aſſeruere bóni veteres aſcendere lymphas
E puteis, quas irriguos deducit in hortos
Antlia: Longè alijs natalibus iris Olympo
Edita, quam genitam priſci de nube putarant.
Syſtema æthereæ molis tubus opticus omne
Subruit antiquum: Fluidos permiſſa vagari
Sydera per campos: Ventis noua prorſus origo
Acceſſit, penitusq; alijs ſuper æquora pennis
Ire datum: Grauium deſcenſibus ordine certo
Præſcripti numeri: Detractus inutilis ignis,
Immenſo obuallans terras atq; aëra gyro.
Quid memorem antiquis ignotum ſanguinis orbem
Perpetuum in venis? certos labentium aquarum
Ignotos modulos? vix nota dioptrica, & vſus
Magnetis varios, genitosq; à luce colores?
Paulatim ſtudijs creſcit ſapientia. Verùm
Interdum eſt rabies quædam, liuorq; ſenilis,
Qui iuuenes ægrè patitur potuiſſe aliquid plus,
Atq; aliquid meliùs ſenſiſſe. Hinc eſſeda more

Structa

Structa nouo, & comptus peregrinæ veſtis, & ipſa
Obliquis oculis noua condimenta tuentur.
Hinc rerum hiſtoriæ veterum, documentaque auorum,
Ad quamcunq; anſam longo redeuntia nexu.
Nil vero lethale adeò, quam ſectæ inimicæ
Flagrantes odijs, laudiſq; inſana cupido,
Atque addicta vni ſeruilibus obſequijs mens;
Quo fit vt errores varios trahat vnius error,
Ceu magnes ex ære ſcobem, dum cogimur ægrè
Falſum aliquod clarâ deprenſum in luce tueri,
Occultandum atris tenebris, aut Martis iniquo
Diſcordi ac vario certamine propugnandum.
At nox ſtellato terras abſcondere velo
Incipit, iniectâ dirimens certamina veſte,
Indicitq; manu tranquilla ſilentia Muſis.
Sydera, de veſtris, vbi craſtina fulſerit Eos,
Prærapidis gyris mihi ſacro è colle canendum eſt,
Pierias inter lauros, Heliconis ad vndam.
Vos adeò in tenebris placido aduigilate ſopori,
Ne ſimulacra animos percellant atra quietos,
Roriferam donec conſcenderit alma quadrigam
Aurora, impuleritq; manu radiante iugales.

DIS-

DISSERTATIO TERTIA.

ARGUMENTUM.

Ex ſtellarum fixarum motu æquabili mundum aliquando cœpiſſe, eidemq; preæſſe aliquem arbitrum oſtendimus. Philoſophia Lucretij refellitur. Demonſtratur dari aliquid, quod non ſit corpus: Inane Epicureum excludi penitus à corpuſculis: Nec poſſe ex ijſdem ſtabilem machinam coaleſcere. Cur nonnulli affectent huiuſmodi Philoſophiam. Epicuri ingenium puerile & ruſticum. Eius principia abſurdis quibuſcunque adſtruendis accommodari; quod inſtituto cum eodem dialogiſmo oſtenditur.

IAmq; aurora vitris è cœlo peruigil aurum
Quadrigæ ætheriæ roſeis ſplendoribus infert;
Parietibusq; ſuum candorem reddit, & almam
Lucem impertitur libris, ſenſimq; reuelat
Appenſas diuûm effigies, noctemq; coruſcis
Peniculis delet paulatim, atq; omnia inaurat.
Summe Pater, cuius cœleſti munere ſolem
Hunc hodie aſpicio, atq; auram reſpiro, diemq;
Ingredior, te pronus humi, te, Numen, ab alto
Cuncta regens nutu, rerum moderator, adoro.
Vt lætus deinde aggredior conſueta diei
Munera! vt heſternos iuuat inſtaurare labores!
Protinus ire lubet per colles & iuga Pindi
Ymbri-

Vmbriferi, atq; his atq; illis aſſidere myrtis,
Atq; hos atq; illos paſſim decerpere flores;
Non ſecus ac volucris, tecti ſub fornice nidos
Quæ parat, ore legens, crebro per rura volatu,
Materiem ſolers operi. Tum me excipit alma
Stellato Vranie tecto, cui circinus aureus,
Aureaq; in manibus norma, & globus aſtrifer aureis
Diſtinctus ſtellis. Illa autem affuſa perenni
Vndiq; luce docet quas ſeruent ſydera leges,
Quàm varios ineant curſus, & quot noua cœlo
Prodiderint vitreæ priſcis incognita lentes,
Atq; alia innumera inſtaurat ſolatia menti.
At tu iſtæc rides, qui luxu diuite ſegnis
Otia longa trahis tecto, auratoq; per vrbem
Inueheris curru, cui ſex Hollandia miſit
Corpore præſtantes niueo candore iugales;
Teq; adeò reputas meliori ſorte beatum.
Demens! His ego delicijs æquè fruor ac tu,
Crede, miſer. Nam cuncta oculis hæc denique vulgi
Paſcendis multo ære priùs ſumptuq; paraſti;
Quorum ego ſpectator quoq; ſum, quoties volo: nec me
Anxia cura angit ne rubris vngulæ equorum
Intumeant cancris, aut ne criſtallina ſepta,
Emiſſi lapidis, conuectæ vel trabis ictu,
Diſſiliant, cœnoq; atro ſordeſcat Apollo
Quadrigæ à tergo pictus. Quid cætera narrem,
Aut conferre velim? Priùs in decliue ruens ſol
Fræna reſoluat equis, quàm ſingula promere poſſim.
At mihi villa, inquis, frondoſo in vertice collis
Haud procul eſt, pictis vbi cedrus plurima in vrnis
Fictilibus, syluæ, & ſaltus venatibus apti;

Et meditor longum callem protendere ad vſq;
Perſpicuum fontem, atq; illic diſponere Muſas
E ſaxo noſtrate, & equum fortaſſe marinum
In medio ſtantem. Iuuat illic ſole flagrante
Et ſero autumno tranquillos ducere menſes.
Hinc è turriculæ ſpecula proſpectus in amnem,
Hinc horti, gelidique ſpecus, piſcoſaque ſtagna,
Atque feræ cicures, & aues, & cætera; quæ ſi
Ipſe etiam cenſere velim, priùs oceano ſol
Mergat equos, quàm cuncta queam numerare.
Nec iſta
Inuideo tibi. Me vitreis procul Addua lymphis
Autumno tenet: At longè felicior illic
Sors mihi, cui nullæ vexant ea tempora curæ.
Non mihi prandenti turbatus nuncius affert
Diſſiluiſſe orbem ferratum dolij, & omne
Exundare ſolo muſtum: Non in calathiſco,
Byſſus vbi, Phrygiumque opus, & fila aurea,
agreſtem
Conſediſſe canem, & ſcabie infeciſſe cruentâ
Fœmineos ſumptus; Nec venti turbine fracta
Inſtauranda vitra: His alij, queis cura, medentur.
Tu magnâ interea turbâ comitante, moloſſis
Auius hàc illàc, latratu & cornibus vmbras
Infeſtas nemorum, & vallem clamoribus imples.
Inde domum repetis feſſus; nam te egit anhelum
Per iuga, perque hirtas ſepes, virgultaque curſu
Et multo ſudore lepus; qui denique ſero
Veſpere ſubduxit ſeſe, longumque diei
Conatum luſit. Mihi iucundiſſima præda
Per virides colles, nemoroſaque teſqua vaganti
Fortuitò inuentus fungus, qui ſtans pede in vno
Expectat, patienſque finit ſe crure prehenſum
Diuelli, atque manu ſublatum in tecta referri.
Sed

Sed quid ego has nugas & inania perſequor amens?
Nec tu etenim felix, nec ego, niſi vtriq; voluptas
Venerit ex alto. Fortunatiſſimus ille,
Quem diuinarum ſecreta ſcientia rerum
E cœlo veniens procul à mortalibus arcet
Seiunctum curis, ſecurum labilis æui,
Cui nullum aduentans mors incutit atra timorem.
Hic metus haud vnquam deerit, qui ſpargit amaro
Omnia felle, niſi ad ſummum te denique vertas
Authorem rerum. Non hæc ſolatia mentem
A pheretro, nigroue queant diuertere panno,
Quin te ipſum interdum videas ſtratum, atque rigentem,
Atque interuallis crebris ea cura recurſet.
Non ſecus ac vitreis ſub aquis cùm piſcis aduncum
Vermiculo inſertum rubro deglutijt hamum,
Cui piſcator ouans indulget itamen, & vndis
Ire ſinit, fruſtra fugitantem; at dentibus illum
Infixis retrahunt retinacula ferrea: donec
In ſiccum trahitur paulatim, vncoq; reuulſo,
Viribus extremis argentea terga volutans
Palpitat, ac demum nigros it victima ad ignes.
Iam nunc, Muſa, redi. Patrijs diſcurrere campis
Tantiſper dedimus. Iuuat interponere tricis
Scilicet auſteris aliquid, quo lætior inde
Acriùs ad pugnam mens inſtaurata reſurgat.
Ergo age: Pierijs donec de collibus aura
Mitibus aſpirat Zephyris; dum ſole renidet
Vnda repercuſſo, cui lenia flamina veſtes
Cęruleas criſpant, alacres incœpta ſequamur.
Et priùs hanc rerum ſeriem cœpiſſe aliquando,
Ex ipſo aſtrorum motu cognoſcere præſtat.
Vtq; geométris mos eſt, præmittere lemma
Non

Non dubitem; Latijs quanquam hæc inſueta Camœnis.
Eſto rota inſertum circa axem mobilis. Hanc tu
Impulſu quouis in gyrum vertis. Eunti
Adde ictum æqualem primo; velociùs illa
Conficiet curſum. Sponte hæc vltroq; fateris.
Adde alios aliosq; æqualibus interuallis
Æquales ictus; tantò ocyùs agglomerabit,
Inſtigata ſubinde, velut calcaribus, orbes.
Quantò autem ſtimulos atq; ictus crebriùs addas;
Tantò illam coges citiùs ſe vertere. Quòd ſi
Non interruptus fuerit, ſed iugiter hærens
Continuusq; ictus ſtimulans; tum fingere mente
Nil citius poſsis, nil ocyus. Hactenus iſta
Cogeris, ante oculos cuicumq; expoſta, fateri.
Nunc age: Contemplare rotam ſtellantis Olympi.
Hanc puta ab æterno impulſam motamq; fuiſſe
Innumeris gyris. Vel debuit ergo rotari
Perpetuo æternoq; ictu: Iamq; hinc tibi prodit
Motus, quo fingi nequeat velocior vllus,
Vt rota præmiſſo docuit te lemmate nuper.
Vel, ſemel impreſſum dumtaxat, pertulit ictum:
Ergo hinc immotam priùs obdormiſſe fatendum eſt,
Quam tamen æterno ponis circùm iſſe rotatu.
Aut infinitis vicibus, vertigine ſenſim
Deficiente, incuſſa velis noua verbera, ceu cùm
Extimulatur equus, quoties it lentiùs: Ergo hinc
Deficit æquatus motus, quem ſydera ſeruant,
Quippe interuallá emoritur per ſingula ſenſim.
Aut æquum retinere velis poſt quemlibet ictum:
Tunc autem innumeri impulſus, vi præditi eadem,
Infinita per interualla, dabunt tibi gyrum,
Vltra-

Vltra quàm fingi poſsit, rapidum atq; citatum.
Aut vi infinitè exiguâ poſtremò cieri
Perpetuò comitante velis: Nunquam extitit ergo
Sufficiens, tantam qui molem vertere poſſet,
Impetus. Vnde igitur nullis impulſibus iſte
Motus in hanc partem, quà Cœlum vertitur; vnde
Extitit? Hinc quauis tibi ſtructæ ex parte latentes
Inſidiæ. Incauto veluti, quà regia villa
Explicat è tophis muſiuum ante ora theatrum,
Sæpe viatori rapidam Satyriſcus in ora
Euibrat improuisus aquam; quam dum fugit, alter
Ore repentinum iacit imbrem in terga; propinquis
Porticibus donec ſecurum ſcrupea ſubtus
Cruſta pauimenti tubulis inſtructa, vel ipſe
Infidus paries ſupremâ aſpergine totum
Abluit: Haud aliter te circumquaq; laceſſunt
Abſurda. Aſtrorum non ergo æquabilis ille
Motus ab æterno fuit: vt fuerat ſtatuendum.
Impetus ergo ſemel fuit inditus; atq;, retractâ
Inde manu, ſponte in gyrum conuertitur ingens,
Æquali ſibi met ſemper vertigine, cœlum.
Hinc aliquis motor, ſupremusq; arbiter, alto
Imperij nutu, naturæ proſpicit. Idq; hinc
Noſſe queas liquidò, quòd vis innata quibusuis
Corporibus ſuſpenſa hæret perplexaq;, ad omnes
Circumquaq; plagas æquè conuerſa, niſi illam
Externum quiddam in partem direxerit vnam.
Atq; ideò, ingenitus quamuis foret impetus ille;
(Ni fortè aſtra velis animantibus addere viuis)
Nulla tamen penitus ratio eſt, quæ cogeret ipſa
Occiduam potiùs ſeſe conuertere ad oram,

Quàm

Quám ſe vertere in oppoſitam. Quod adhuc manifeſtè
Concipias animo, ſi vis contraria ſiſtat
Ex improuiſo cœlum, immotumq; relinquat.
Nam quid tum poſſit? quò ſe tunc incitet? vnde,
Quòue ineat gyrum, cùm ſint circùm vndique cuncta
Momentis paribus librata? Ergo arbiter iſtam
Litem aliquis dominus nutu imperioq; diremit.
At quadam ſorte, & cæco, Lucretius inquit,
Contigit id caſu, qui conficit, & regit omnia.
Crux temulento homini, qui me iam pace fruentem
Rurſus ad arma vocat. Nequeo liuore maligno
Diſſimulare iram, nec poſſum abſcondere bilis
Ingenuam flammam. Quanquam certamine nullo
Res eget in præſens; quando hæc iam Tullius olim
Omnia difflauit feliciùs ore ſoluto,
Quàm quiſquam valeat ſtricto contendere metro.
Verùm vlcus ſanie tumidum pertundere ferro
Proderit, vnde omnis ſcatet altè, & verminat atro
Abſceſſu execranda lues. Arx ergo ſceleſti
Dogmatis hæc princeps; quòd, præter corpora tactu
Percipienda, aliud nihil extitit, & nihil vſquam eſt,
Aut erit. Ipſe animus, mens ipſaq; ſubditur iſtis
Legibus; ipſa atomis quoq; texta, vt marmor, vt arbos,
Et reliqua. Hinc ictu ferali hanc funditus omnem
Diſſoluit Libitina furens, ſpargitq; per auras,
Seminibus reliquis miſtam volitantibus, vt ſert

Arbitra

Arbitra ſors, cæciq; amens temulentia caſus.
Da, Pater omnipotens, cœlo capita alta ferentem
Sternere humi, mediâ percuſſum fronte, gigantem,
Conantem è ſolio diuinam extrudere mentem,
Et cæcum artificem ſupremâ in ſede locare;
Tuq; Helicona auſus tetro vitiare veneno,
Vnde bibit virus paſſim exitiale iuuenta,
Huc ades. Exili ceu ſtamine aranea fucum,
Te quoq; non dubitem glomerato vellere circum
Irretire. Peto, num quæ tibi concita philtro
Mens olim inſano dictauit carmina, quæro
Abs te, inquam, num ſint aliquid, quod conſtiterit re;
An prorſus penituſq; nihil? Nullatenus iſtud,
Credo equidem, ſtatues; nam ſunt dulciſſima, ſenſimque
Inſinuant animis conditum melle venenum.
Ergo aliquid cùm ſint hæc toxica; iam rogo num ſint
Atramentum illud, quo primùm ſcripta fuere?
Excipis hæc riſu iuſto meritoque. Quid ergo?
Forte caracteres in chartâ extante? Nec iſtud:
Nam varijs ſunt illa typis ſæpe edita formæ
Diſſimilis; tamen vſq; manent intacta eademque
Vt priùs. An voces prolatæ? Iraſceris atro
Felle, quòd his craſſis inſtem rationibus. Iſta
Nimirum ſunt mentis opus. Scitè egregieque!
At quoniam eſt mens particulis tibi ſtructa rotundis,
Vt tute affirmas; pariter conſtare neceſſe eſt
Conſimili ratione aliquâ, certisq; figuris
Carmina, mentis opus; nam ſunt aliquid; neque, præter
Corpora, quidquam extat. Peto nunc quibus ex polîedris

Illa

Illa putes conſtare? volo abs te ſcire: quid inquis?
Omnia ſunt tibi fruſtillis, motu, atq; figuris
Committenda, velut ſectis aſarota lapillis.
Atq;, vbi teſſerulis mentem incruſtaueris iſtis,
Centum alia enodanda tibi, extricandaq; reſtant.
Nam rogo vt è chartâ in cerebrum tranſmiſſa
ferantur?
Num ſint illa eadem corpuſcula, quæ tibi quondam
In mente extiterunt, temere delata per auras;
An plexu contexta nouo? Num fortè legenti
Pertundant oculos primùm, ſubeantq; cerebrum
Per vacuos ingreſſa poros? Pudet iſta referre
Vlteriùs noſtri generis fœdiſſima probra,
Dedecora humani ingenij. Qui ſibilus vnquam
Excantare homines potuit? quæ pocula Circe
Sæua propinauit miſeris mortalibus, vt ſe
Nonnulli exuerint ſe ipſis, & mente animoq;
In corpus commigrarint? Verùm hunc ego morbum
Ventroſi ſplenis viſcoſo humore tumentis
Crediderim potiùs, nec talibus vlla adhibenda
Eſt ægris ratio; ſed cautè ac ſæpe monendi
Vt vitent genus omne leguminis, vt nebuloſis
Caulibus abſtineant: In primis aëre aprico,
Collibus, & pratis, riuisq; æſtate fruantur,
Aucupijsq; leuent animos; & balnea demum
Vindelica, aut ſiqua his fuerint potiora, frequentent.

Verùm ne videar potiùs contemnere, quàm vi
Exactâ ad leges iuſti certaminis hoſtem
Impugnare; tuum tibi nunc excludere inane,
Per quod ab æterno corpuſcula mota vagantur,
Sic porrò aggredior. Si cui ſit tanta poteſtas

Vt

Vt ſe ipſum extrahere è nihilo queat; id ſibi nullam
Conſtituat metam, nec certo limite ſeſe
Claudat inops parcumq; ſui. Quid ſcilicet obſtet?
Quis leges ſtatuat? quis certos ponere fines
Menſuramue queat? Non fingere mens ſibi poſſit
Cur nihili victor non totum corpore vaſto
(Si, præter corpus, nil poſſe extare velimus)
Impleat immenſum ſpatium, gyroq; refuſum
Indefinito circùm omne excludat inane.
Nam res exiſtens à ſe, atq; extans ſine nutu
Alterius cauſæ, arbitrio ſibi tota relicta eſt.
Cur locus ergo vacat? Cur non latè omnia moles
Corporis vna replet? Cur non corpuſcula tot ſint
A ſe ipſis, vt præterea ſpatij nihil vſquam
Sit reliquum innumeris alijs? cur tanta ſuperſtes
Eſt regio? cur in nihilo infinita relicta?
Cur non illa extant pariter? quo numine? quâ vi?
Quo vetitum fato ne demum emergere poſsent?
Concilio num fortè habito lex condita, nequid
Inſuper in rerum cenſum numerumq; veniret?
Scilicet vt ſparſum poſſent per inane meare
Cætera, neu ſolidum corpus conſiſteret vnum?
Sic equidem reor: Id fuerat planè ſtatuendum.
Nimirum hoc ipſo in cœtu decreta fuiſse
Plura alia vnanimi ſenſu, ſtudioq; putarim;
Atq; inter reliqua id fixum, quod Tullius inquit,
Ne fierent motus æqualibus interuallis;
Sed declinarent paulùm, quò deniq; poſsent
Ingruere in ſemet corpuſcula nexa viciſſim.
Inſuper hoc etiam indictum, ne, deniq; mundo
Conflato, humanis ſeſe artibus immiſcerent,
Ne caſu vnquam vllo telam, multo minùs aulam,
Aut nauim extruerent; nec claui conficiendi,
Nec chartæ, nec acûs minimæ permiſſa facultas.

Cætera

Cætera perficerent cuncta, vt ſors cæca iuberet.
Verùm, ais, Hunc tu verſiculum quî ſcandere poſſis?
Quem verò? Celebre hexametrum. Quodnam, precor? Illud
Ex nihilo nihil, in nihilum nil poſſe reuerti,
Proinde noui prorſus nihil vnquam exiſtere poſſe.
Audio. Sed contra eſt aliquid. Nam ruſticus olim
Vxori iratus, quæ, longo tempore tritâ
Endromyde, aſſiduè muſſabat quòd nihil vnquam
Ille noui adferret; pugno è regione ſiniſtrâ
Coniecto in dentes, Hoc, inquit, habeto: recens eſt,
Atq; nouum. Sic ille. An tu nil rere dolorem
Confracti maxillaris de vulnere natum?
Hunc quoq; particulis vin' texere forſan acutis,
Ad ſonitum colaphi quæ protinus aduolitarint?
Sed demus ſtolidæ cuncta hæc deliria ſectæ.
Inſuper id pariter demus, nullum eſſe cadendi
Finem atomis, nec metam vllam, quæ terminet vnquam
Deſcenſum in præceps: Nego iam corpuſcula poſſe
Mutuò miſceri; nego poſſe hærere viciſſim,
Vt ſtabile hinc valeant coaleſcere corpus in vnum.
Pinguibus exemplis (namq; his Epicurus, & huius
De grege ſubrumi gaudent) id promere nitar.
Nam quoties vaſto è templo denſiſſima turba
In ſua tecta redit, magno illa affuſa tumultu
Ad portas condenſa ſtrepit: pars ſummouet ægrè
A tergo inſtantes cubitis; pars in latus vrget:
Huic reſciſſa toga ex humeris, huic pallia rapta:
Inde

Inde repercuſſus varij, fluxuſque refluxuſque
Vndantis populi. At quoniam vis omnibus illuc
Conuerſa; ingentem poſt luctam, denique in ampla
Quiſque fori ſpatia erumpunt, ſparſimq; feruntur
Diſtracti, haud ſecus ac puncto cùm lineæ ab vno
Diſcedunt plures, quas in diuerſa videmus
Protendi. Ergo, atomos pariter cùm prorſus eadem
Stipatas ratione velis concurrere; turbas
Quantaſcunq; ciere queant & prælia in arcto;
Tandem inde egreſſæ, ſparſim, quà ſemita ducit
Vnamquamq; ſua, effugient; pars pluribus vncis
Implexa atq; hamis ſociarum, pars laqueata
Iniectis anſis, pars libera; ſed tamen inde,
E trunco veluti ramos, vltra ire neceſſe eſt,
Motu compoſito ex varijs impulſibus vno;
Quandoquidem eſt illis, vt ais, plaga vnica, per quam,
In morem lapidum, deſcendit quæque deorſum,
Ocyùs ipſo etiam iacto ad nos lumine ſolis.
Non ergo hinc potuit conflari hæc machina rerum,
Aut hanc perpetuò in præceps ruere inde neceſſe eſt.
Cætera quid memorem puerilia ſcita Epicuri,
Quæ nemo fingat, nemo vnquam ſomniet, etſi
Sparſam opio portulacam cœnarit aquoſam?
Hunc rogita vnde hominum extiterit genus; inde loquentes
Cogita an in ſcenam ſic Gripum induceret vnquam
Aut Strobylum Plautus. Nempe inter gramina natos
Folliculos quoſdam atq; vteros ait; hoſq; calore
Maturos ſolis, velut vuas, denique in auras
Excluſiſſe homines. Verùm quis nutrijt? Ipſa

Lacte ſuo tellus. Cur talia gignere ceſſat?
Effœta, & vetula eſt, inquit. Rurſum pete, quantum
Eſſe putet diſcum ſolis. Tres circiter vlnas
Ille dabit; quantum nimirum & Mopſus arator,
Et meſſor Chorydon quoq; cenſent. Scire velis cur
Sydera vertantur cœlo? Lepidiſſima porrò
Cauſa; quòd incluſi nimirum ad pabula currant
Cœleſtes ignes, veluti ſtrigoſus odorum
Ad ſtabulum, & fœnum quadrupes. Quam deinde figuram
Eſſe velit terræ, lepidum id quoq;. Qualia cernis
Tympana vel diſcos, telluri prorſus eandem
Adſtruit hic nebulo formam, plano orbe ſupernè.
At cur non cadat in cœlum vi ponderis acta,
(Nam ſine fine putat deferri cuncta deorſum)
Sublato hic humero miſer hæſitat, idq; moleſtum,
Ceu culicem, ſentit. Suſtentari aëre demum,
Subiecto veluti ſcamno menſaq;, fatetur.
Nimirum hic ille ingenij dein vertice ſupra
Mortales reliquos; naturæ hic ille repertor,
Ille à ſecretis; obſcurâ vnde abdita nocte
Noſtro inſtaurari meruit ſapientia ſeclo.
Vlteriùs-ne lubet ſcitari? Dic age porrò
Ecquid percellat viſum, cùm templa, domosq;,
Aruaq; proſpicio? Nihil ingenioſius, Hercle,
In mentem veniat. Digreſſa è fronte domorum
Abſtrahitur pellis quædam & membranula, eadem
Prototypi formâ ac poſitu, ceu prima reſecta
Pagina de ſpiſſo libro: innumeræq; ſequuntur
Exuuiæ ſimiles. Hæc bractea deinde, feneſtris
Et portis diſtincta ſuis, orbes oculorum
Ingre-

Ingreditur. Sed, quod magis admirere, cerebrum
Pelliculæ ſimiles (at textu, quo nihil vſq;
Tenuius eſſe queat) ſubeunt. Hinc mente videmur
Cernere res cunctas, oculis quas vidimus olim.
Hinc cùm Centauros mens exprimit (hoc etiam audi
Ac diſce egregium planè ac mirum) id putat inde
Confieri, quòd corticulæ & membranulæ equorum
Atq; hominum in cerebro extantes iungantur in vnum.
Quid reliquas nugas, quid fœda, quid impia, paſſim
Commemorem dicta, & ſceleris cuiusq; nefandi
Semina, arenoſis quantumuis obruta grumis,
Colluuie atq; fimo ſub glebis nempe latente?
Et tamen inuenias, qui talia ſemiadaperto
Ore probant; ideoq; probant (mirabile dictu,
Quod vix credideris; ſedenim mihi crede) ideo, inquam,
Quòd reiecta vident paſſim, velut abſona; & ipſi
Reiecturi eadem, ſi vulgo afferta viderent.
Scilicet id pulchrum reputant ſi prætereuntes
Monſtrentur digito, atq; aliquis ſubmurmuret: *Hic eſt*
Lucreti ille ingens fautor, cui texta rotundis
Ex atomis ratio haud omnino diſplicet. Olli
Acrior obtutus certè eſt: viden' vt taciturnus
Incedit? magnum eſt aliquid, quod pectore verſat:
Non hic cum vulgo ſapit. Hic olidus tibi fumus
Suauiùs vnguento Aſſyrio placet vſq; ſuperbis
Naribus: hinc tibi pileolus decliuis in aurem:
Inde ſupercilium, quale eſt meditantibus altè,
Cui gemino partita fluit doctrina ſub arcu.
Hinc animæ tandem immortali, ipſiq; ſuperno

Rectori, hinc hominum arbitrio nubeculæ & vmbræ
Interdum adſperſæ: Præſertim vbi facta poteſtas
Fœmineo in cœtu, nocturna ad lumina, ludos
Inter, ad hybernos foculos, genialibus horis.
Hic iuuat ad pompam peregrinas promere merces.
Nec non ipſa ſuas profert quoq; docta Lycoris,
Et Galatea ſciens, Ephyreq;, & filia muſæ
Delia Melpomenes. Hinc plures voculæ in vnum
Permiſtæ res auditas ad ſydera tollunt
Vnanimi clamore; domi mœrentibus altè
Interea fuſis, lanæ liniq; diurni
Iam ferme oblitis, quòd non operoſa Minerua
Adſit lanifico ſtudio, velut ante ſolebat.
Non ego in his equidem gerris nugisq; putaram
Longo adeò ac ſterili Muſam deducere calle
Egreſſam in littus curſu per ſaxa pedeſtri.
Verùm alia ex alijs ſubeuntia tramite torto
Diſtraxere animos ſenſim; nec fas modò rurſus
Ingredi iter cœptum: nam ſol decliuis Olympo
Longiùs ire vetat. Stabulo proin laſſus in iſto
Cogor adhuc tolerare moras, & perdere carmen.
At ſaltem hoc reliquum læto traducere plectro
Iuuerit, atq; moræ faſtidia fallere riſu.
Ergo age: De caſu cæco, qui cuncta gubernat,
Et regit ad nutum, nonnulla, Epicure, viciſſim
Colloquia inter nos geniali fronte feramus.
Sed priùs allato cyatho bibe; namq; Phalerni
Sæpiùs ac Chij latet intra pocula verum.
Inde ades, atq; animis hilares certemus amicis.
Audi mirificum monſtrum. Caprificus in horto
Protulit è ramo citreum, cui præuia nulla
Inſitio. Quam tu poſſis mihi reddere cauſam?
Dummodo vera ſient quæ narras, nec mihi vendas

Somnia; cauſa erit in promptu. Veriſſima narro,
Quàm tua ſunt porrò mundi primordia vera.
Nec te mirari decet hæc, cui nata repentè eſt,
Noſtri inſtar cedrij mali, mirabilis iſta
Omnigenûm rerum ſeries. Certiſſima crede:
Idque etiam, ſi vis, teſtor per noſtra Heliconis
Numina, per nemus Heſperidum, vigilemque draconem.
Quandoquidem id ſanctè iuras, quærenda priùs ſunt
Nonnulla. In primis rogo te, num citrea in horto
Poma alia extiterint. Vtiq;, & quamplurima pridem
Extiterant; Sed turbo ruens, & peſſima grando
Omnia diſiecit. *Iam lux hinc prima refulget*
Promittens aliquid. Quoniam ergo hæc edita ſtrages,
Vt tu inquis, quamplura ſolo putruiſſe nec eſſe eſt,
Nonne? Vtique. Ex illis immo congeſtus aceruus,
Accumulata velut graſsante cadauera peſte,
Quæ veſpillones in cœmeteria vectant.
Paulatim apparent nodi capita abdita. Ficus,
Seu caprificus, vti mauis (res namq; perinde eſt)
Ad quam verſa plagam? Ad Boream. *Et citri?* E regione
Ad tepidos Auſtros. *Ventorum quis fuit illo*
Tempore regnator? Boreas plerumq; ſonoro
Flamine. *Iam ſinito ſimul hæc componere. Grando*
Depopulata nemus: cedromela à turbine cuncta
Sparſa ſolo: dein fœda lues: tum longa Aquilonum
Flamina. Rem teneo: Sed te priùs obſecro, num quis
E Peripato vnquam formâ *extricauerit vllâ*

Implexos adeò nodos, poſitâ ante oculos re,
Vt tibi nunc pandam. Nam citris (nectar in ore
Elicuit tuſſim) nam citris tabe ſolutis,
Erupere ſtatim corpuſcula, quæ priùs arcto
Hærebant nexu deuincta. Hinc illa per auras
Libera dum ruerent temere fugitura, Aquilonis
Vis rapida in ramum caprifici, non ſine caſu,
Detulit. Hinc partim vacuos ingreſſa meatus
Corticis & ligni, partim agglomerata ſubinde
Exteriùs, rurſum ſeſe implicuere viciſſim,
Vt quondam, nodis, vinclis, & plexibus iiſdem.
Hinc citrinum malum mirâ tibi ſorte pependit.
Id quoq; non vno exemplo condiſcere poſſis.
Ceu tactis lue cùm bubo ſubnaſcitur atro
Tubere, neſcio queis atomis compoſtus aduncis,
Quæ prenſant animas, ægroq; è corpore vellunt;
Haud ſecus hoc cedrinum tuber ficulnea adhæſit,
Textum atomis, quas illa cadauera citrina putrì
Emiſere aluo. Viden' vt tibi reddita cauſa,
Quam palpare manu poſſis, ceu vellera lanæ?
Rem dilucidiùs quoq; pandam. Æſtate ſerenâ
Obſeruaris apes toties, cùm ſæpe, coortis
Diſſidijs inteſtinis, aluearia linquunt.
Has ſparſim cœlo rapit aura. Vt tinnula verò
Vox æris crebro pulſu reuocauerit, illæ
Adglomeratæ, acinorum inſtar, de vertice pomi
Aut ceraſi pendent, velut vua ex pampino. Id ipſum
Circiter eueniſſe puta. Miranda reſoluis,
Quæ fruſtra quæuis mens extricare laboret.
Quæ non (quantumuis enormia) ſoluere poſſim?
Nil adeò mihi iucundum quàm cùm abſona quædam
Audio portenta. Hic tantus mi diſplicet ordo
Naturæ, & rerum ſeries tam conſona. Vellem
Inter-

Interdum è cœlo pluuios deſcendere fungos,
Naſci alios ſoles; interdum extare repentè
Aularum in medio platanos, deſcendere lunam,
Monſtroſèq; oculis coram omnia permiſceri.
Atqui hæc inſolita & rara vt mihi, quæſo, deinde
Extricanda forent? *Noſtra myſteria ſecta,*
Vt video, exploras; Animos aduerte; docebo.
Hæc itaq; in primis ſolido deſcripta adamante
Sit tibi lex. Quoties natura expendere quoduis
Arcanum lubet; exemplo id patulo, & bene noto
Exprime; præſertim plebeia, ſi potes, artis
Ferramento aliquo. Hinc mentis tibi ſacculus vncos,
Fuſcinulas, anſas, & ſerras denticulatas
Præbeat ad nutum ſemper. Fabrilibus iſtis
Vtere; namq; iſtud phyſicè eſt rem deniq; noſſe;
Non autem ingenij cultro reſecare minutim ens,
Omniaq; affuſis tenebris, ceu dicta Sibylla,
Obſcurare, vt deinde ſcias te denique ſcire
Illud idem, quod iam ſcieras. Hæc prima igitur lex.
Dein caue, ne te de ſcamno, cathedraue ſalignâ
Reſpondere aliquis cogat, qui non ſinat vllas,
Gutture præcluſo, voces depromere quàm tres,
Quarum vna affirmet, neget altera, tertia verò
Separet ambiguum ſenſum. Hæc faciunt, quibus eſt mens
Particulis quadris contexta; vrgenda proinde
Argumentorum trocleis ac vectibus, vt vi
Aſſenſus tandem tardâ de ſede trahatur.
Præterea: Si quis petat abs te quid ſit honeſtas,
Quid ius, conſilium, pietas, & talia (namque hæc
Difficile eſt atomis committere) tu priùs ore
Oſcita, & inſulsâ ſuper eſcâ contrahe nares,

Vt faciunt , quibus appoſita eſt pro turture pica?
Deſpue ridiculum commentum. Tum nihil iſta
Aſſere: Sunt etenim ſegmenta & fruſtula inanis,
Et quædam vacui ac nihili ſine corpore bulla
Interſperſa animis hominum, ſpumæ inſtar aquai.
Inſuper : (huc animi globulos , huc exere mentis
Cornicula) A curis hominum cùm Numina, uti ſcis,
Longè aliena velim; nec quidquam exinde timendum,
Sperandumue ſiet nobis mortalibus: Et cùm
(Vt pariter noſti) ſparſis per inania cunctis,
Nil reliquum maneat poſt fata: Quid inde ſequatur,
Qui nidor, quique hinnitus ſe tollat ad auras
Nempe vides. Quantò hinc igitur data libera cuiq;
Fræna voluptati cæca, conceſſaq; morum
Libertas; tantò auſterum, rigidumq;, & honeſti
Durum exactorem te præbe extrinſecùs, ore
Aduorsùm ſcelera hirſuto. Statuenda voluptas,
Non ea, quam nobis imponit fama; ſed illa
Quam tranquilla quies animi parit, abſq; dolore
Corporis: Hanc vnam volumus. Quoue improba facta
Abſterrere queas, hominesq; infanda tremiſcant
Crimina; ne tu angues furiarum, ſomnia vatum,
Obijcito: Incurſus atomorum vncosq; minare.
Denique: Sed priùs in gyrum circumſpice qui te
Circumſtent hominum rictus, quæ nubila frontis,
Quæq; ſupercilia; & lapides fuſteſq; propinquos
Cautè omnes remoue; atque, vbi videris omnia tuta,
Siquem Relligio fortaſſe, aut Numina tangant;
Iſq; adeò vitam trahat ægrè, horrenda tremiſcens

Suppli-

Supplicia , & ſcelerum pœnas poſt funera.... (*in aurem*
Hoc tibi ſecreto ſinito indam murmure) Claude os,
Verte aliò hanc fœdam , ſus execrande , latrinam.
Nimirum hæc meta , hoc album , quò denique tendis ,
Impie , nequam: Apage hinc. His legibus illa Epicuri ,
Carmine Lucreti translata Heliconis ad amnem ,
Aonijs vtinam maneat reſpublica in aruis ,
Inter Pierias curas , & ſomnia Pindi.

DISSERTATIO QVARTA.

ARGUMENTUM.

Centrum terræ & totius Vniuerſi idem eſſe, aduerſùs Copernicum. Cur heterodoxis præcipuè ſyſtema terræ motæ probetur. Digreſſiuncula de libellis externorum. Lunam, cæteroſq; planetas ad centrum vniuerſi tendere; cæteroquin, ob motum circularem, altiùs ſemper atq; altiùs vſque ad ſydera fixa proueherentur. Mundum non eſſe indefinitum, nec alium extra hunc exiſtere. De origine ventorum. Nulla neceſſitas halituum terreſtrium ad explicanda eorundem phænomena, quæ ex naturâ aëris conſentaneo ſyſtemate pulcherrimè deducuntur.

AT curſu in medio radentem littora cymbam
Vis inimica Auſtri procul altum traxit in æquor,
Iactatamq; diu putrem coniecit in vluam;
Vixq; adeò memini quo primùm tramite prorâ
Inſtiterim: vſque adeò nebulo teterrimus ille
Et maria, & terras, & cœlum miſcuit. Atqui
Non ideo incœpto deſperem inſiſtere calle,
Atq; in rem noſtram, ſerò licèt, vſq; redire.
Mundum igitur, quem iam ſtatui cœpiſſe aliquando;

Ne

Ne quiſquam immenſo ſpatio ſuſum vndiq; , & omnis
Limitis expertem credat; neu cenſeat extra hunc
Fortè alium huic ſimilem conſiſtere; nec putet orbem
Terrarum circa ſolem per inane vagari.
Hæc ſtaticæ ad leges ſtatuenda; Sed ordine verſo,
Vt ſe quæque ferent primùm obuia. Plurima forſan
Adijcient Muſæ non aſpernanda canenti.
Principiò hoc fixum maneat, certum eſſe quibuſuis
Corporibus punctum, certaq; in ſede repoſtum,
Vnde æquis conſtant momentis vndique partes,
Quod centrum appellant grauium. Nec, plurima quamuis
Corpora, ceu lapides ſparſi, diſiectaq; arena
Extiterint, interuallis diſiuncta viciſſim;
Id prohibet, quin punctum iſtud conſiſtat in illâ
Congerie, inque illo, quantumuis diſſito, aceruo.
Huic puncto innixus geométra, inde abdita mira,
Haud alijs referanda modis, arcana recludit.
Hoc autem in primis ſtatuit, iure omnibus æquo,
Vnicum in vnoquoq; graui, pariterue quibuſuis
In cumulis punctum ſeu centrum iſtiusmodi ineſſe.
Quod tamen haud illi quiſquam permitteret vnquam,
Si non ex libræ arcanis, ſtaticeſq; ſeueris
Legibus id firmum, tutum, ſanctumq; teneret.
Hoc ſolido iacto fundamine, non ruituro
Arietis impulſu quouis, nec turbine venti;
Iam te deducam telluris in ima gradatim.
Fac, lapidum centro inuento quorumlibet, iiſdem

In mundi medio conſiſtat; oportet vtriq;
Commune id ponas: Atq; hinc fateare neceſſe eſt
Tellurem hoc ipſo in medio conſiſtere mundi.
Non igitur circa ſolem delata vagatur.
 At, cur ergo, inquis, plauſu iſtud fama ſonoro
Tantopere inuentum celebrat? Cur Anglia chartis
Immotum ſolem; cur paſſim Hollandia ſparſis
Ingerit iſtud idem libris? Cur iugis ab Arcto
Ventus agit terram in gyrum? Vin' ſcire? Ideo quòd
Iura vetant ſacra; hinc nempe in contraria niſus,
Hinc morſus fræni. Sancitum finge ſeueris
Legibus oppoſitum. Rabidâ tum ſcilicet irâ
Infrendens Aquilo, ceu rupto carcere pardus,
Terribilis viſu ſacris pugnaret apertis
Continuò libris: produceret illico ſummi
In medium dicta Artificis; ſtandum ipſius vni
Diceret aſſerto; vocesq; diſertaq; verba
Haud vlli temere fas detorquere cauillis;
Paginæ inhærendum ſanctæ, obſequioq; profundo
Excipienda oris diuini oracula. Tales
Ederet ille ſonos; magnoq; optauerit emptum
Poſſe aliquid ſimile interdum contingere. Iam nunc
(Id quoniam nequit) infeſto furit vſq; latratu,
Naturæq; vices inuertens omnia miſcet,
Omnia cæco ore abſorbet, portentaq; rerum
Nulla timet; modò ſancta queat perfringere iura.
 Italia, (ingenuæ iuſtæq; ignoſce querelæ,
Neu, precor, iſta ſupercilio faſtuq; ſuperbo
Dicta putes: non hæc humili mens turgida vati;
Audaci quanquam videar conſurgere plectro:
Quin declamantis potiùs crede iſta furentis.
Ad

Ad vanam in paucos conficta tonitrua pompam)
Vnde tibi obſequium tam vile? Vnde iſta libellis
Externis, quotcunq; volant, quibus omnia ferme
Iam plena, vt cyniphum quondam Pharaonica regna
Nubibus, vnde, inquam, reuerentia tanta? Magiſtra
Terrarum quondam, populis lex normaq; rerum;
Nunc cuiuſq; fere gentis... (ferme excidit ore
Sordida adulatrix) Nimirum oblita tuorum,
Vnde olim tibi fama ſuper Garamantas & Indos,
Vix memor eloquij patrij, linguis peregrinis
Dedita, nulla æquis oculis iam dona Mineruæ
Aſpicis; è gelidâ niſi quæ tibi congeris vrsâ,
Externisq; oris. Ecquis velit Italus, oro,
Ingenij monimenta ſui committere libris,
Quæ, niſi longinquum prælum teſtentur in ipſo
Limine, tu nihili facias? Tum deniq; plauſu
Exceptura, vbi reſcieris placuiſſe remotis
Trans alpes gelidas populis? Quot ſunt tibi muti
Iccirco calami? quot denſâ nocte premuntur
Tentamenta operum? quot clara excelſaq; torpent
Ingenia in tenebris? Quid? quòd tibi tecta venena
Interdum ignaræ, ſalibus condita iocisq;
Tetra propinantur? quid? quod laceræ impia famæ
Sæpe cruore madent folia infenſiſſima? nec tu
Interdum ſine vulnere abis? Nec vox tibi læſæ
Proſilit in iuſtas iras, questusq; viriles?
Quod ſi non æui pręſentis gloria tangit;
Non te fama vetus ſaltem, non illa tuorum
Nomina magna virûm, non Tullius, & tuba ſacri
Virgilij reuocat? Non deniq;, quæ tibi reſtant
Expoſita ante oculos, capitolia, balnea, pontes

Pren-

Prenſam crine trahant madido, excutiantque veterno?
At Mæcenates deſunt: deerunt tibi ſemper,
Quandiu iniqua tuos contempſeris. At neque deſunt;
Et plures numerare queam. Verumtamen vnus
Sat tibi ſupremus ſolio moderator ab alto
Sacrorum Pater, afflictis ſpes vnica rebus
Europæ, in tanto Regum populûmq; tumultu,
CLEMENS MVNIFICVS, IVSTVS, PIVS. Hinc ſibi lucem
Ingenuæ quæcunq; artes, & præmia ſperent.
Sic Iani poſtes ferratos claudere longâ
Pace queat, belliq; ſemel componere motus:
Sic cœlum Italiæ lux dia aliquando ſerenet.
At me, ceu frondem platani, ſegmenq; papyri,
Quælibet hàc illàc volitantem pertrahit aura
Deuium ab incœptis. Redeo ad ſyſtema celebre
Telluris motæ. Hanc igitur conſiſtere mundi
In medio, è centro grauium deduximus. At nunc
Addo, etiam libræ neglecto cardine, ibidem
Manſuram. Huc animos mentemq; aduerte. Iube iſtud
Telluris centrum finiri limite certo,
(Quandoquidem conuerſa negas huc omnia niti)
Sitq; ipſi præſcripta, velut prouincia quædam,
Quam ſecum, vt limax tectum, Phœbeia circùm
Lumina perpetuò ducat; iubeasq; ſeuerè
Ne liceat grauibus queiſcunq;, niſi ambitu in illo,
Exercere ſuas vires, ferriq; deorſum.
Iam, quoniam aſtrorum in cenſum tibi terra repoſta eſt;
En, ſoror ipſa etiam Phœbi ſibi poſtulat æquo
Iure ſuum regnum, atq; ſuum Venus; Abnue verò,

Si potes, id Marti, atq; aſtris maioribus. Ergo,
Cùm regio ſit cuiq; ſuo clauſa vndiq; gyro;
Hinc ditionum inter confinia, multa neceſſe eſt
Interſint ſpatia, interuallaq; plura refecta',
His prorſus regnis penituſq; excluſa, vti conſtat
Perſpicuèq; vides. Igitur, ſi corpora in iſtis
Sedibus ambiguis furtiuâ mente reponas;
Illa vtiq; hærere attonita & perplexa neceſſe eſt,
Neſcia quò ſeſe vertant; aut, ſi velit ipſa
Vnumquodq; aſtrum rapere, vt ſibi debita; lites
Et bella hinc atq; hinc pro finibus orta videbis.
Sed caue ne rerum ignarus cœleſtium, & inſons
Immuniſq; Matheſeos, ingenio petulanti,
Pro iaculo vibres magno conamine ariſtam;
Ridiculoq; ferox certamine congrediaris.
Hæc bilem exacuunt: Hinc in contraria ſæpe
Pertrahit ac firmat quædam indignatio mentes.
Nam nihil eſt adeò quod perdere poſſit honeſtum
Ingenuumq; virum, iuſtiſq; expellere metis,
Quàm cùm homulus bellum mouet aduerſarius, & ſe
Confeciſſe putat rem, telluriq; volanti
Inieciſſe moram; ex gyro quòd nempe diurno
Maximus ingrueret ventus; cediq; ſibi vult
Iccirco, riſuq; eludit cuncta ſuperbo
Exultans animis, ducenſq; tripudia. Nemo eſt,
Qui non è tepido potiùs ſibi pharmaca ſtanno
Eligat atra oculis ſorbere roſacea clauſis,
Quàm vocem & vultum ſcioli perferre docentis.
Tu, niſi equo inſiſtis valido, ne te ingere, demens,
In medios hoſtes. Tibi ſat contra omnia tela
Vox ipſa artificis, ſtabilem immotamq; diſertè
Tellurem ſtatuens: Hoc lis tibi reſte dirempta:
Ipſe ſuum bene nouit opus; nec ſit tibi curæ
Quid-

Quidquid contra Aquilo turgens crepet inuidus ore.
At contra inſurgis: Cur ergo Cynthia ab alto
(Quandoquidem hoc centrum ponis, quò cuncta feruntur)
Cur, inquam, præceps non corruit? Aſt ego contra
Scire velim potiùs (niſi punctum fixeris iſtud
Perpetuò retrahens) cur non ſublimiùs acta,
Iugiter alta petens, in ſydera peruolet. Audi.
Quæcunq; in gyrum vertigine circumaguntur,
(Vt ſolidè in primis ſtatuit Carteſius) illa
A centro fugiunt, & longiùs acta feruntur.
Pluribus id potes exemplis cognoſcere. Nam ſi
Exceptum lapidem fundâ rapido impete in orbem
Verteris, hunc ſentis à dextrâ excedere velle,
Atq; ipſum retines vi, luctantemq; coërces.
Præterea læui in plano tibi lignea in orbem
Regula eat, fixo tantùm vno termino. Eburnus
Hæreat huic globulus coſtæ, qui liber ijsdem
Circumeat gyris: Hunc protinus ire tigilli
Ad latus, à centro profugum, velut hoſte, videbis.
Sic equus in gyrum ſcuticâ hortatuq; citatus,
Si funem ſenſim currenti indulſeris, arcto
E circo egrediens maiores conficit orbes.
His ita compertis: Fluido cum libera cœlo
Cynthia prærapido curſu delata rotetur;
Ipſa etiam à centro refugit, inq; ardua tendit;
Et niſi fræno aliquo teneas; in concaua Cœli
Suprema, in ſedes ſtellarum, & regna feratur.
Ergo illam (excluſo iam vortice Carteſiano)
Non aliter retinere queas, quàm ſi cohibens vis
Ad centrum retrahat, creſcens quantùm illa recedit

Lon-

Longiùs à centro; donec tandem impetus ille
Circumagens diſcat freni moderamina. At, inquis,
Cùm lapidem obliquè iacio, niſi terra cadentem
Exciperet, curuo deductus calle deorſum,
Poſtremò in metam grauium deſcenderet. Erras.
Ille etenim, oblongo in ſe met redeunte, rediret,
Circuitu æterno, nunc puncto proximus imo,
Nunc refugus. Quin & curuam retineret eundo
Illam ipſam, quam proiectis fugientibus olim
Conſtituit magnus Galileus, prorſus eandem;
Illam, inquam, è cono rectanglo quæ trahit ortum,
Hinc tamen, atq; illinc geminatam, quadruplo in vnam
Segmento, inuentu haud facilem, coëunte figuram.
Verùm Muſa negat ſe talia claudere poſſe
Aonijs numeris; nec tantum poſſe licere
Vatibus vnanimes iuſſu edixere ſorores
Pieriâ ex aulâ. Supereſt cur deniq; Mundus
Sic definiti ſpatij. Ratio obuia cuiuis
Ex ipsâ grauium metâ. Nam, ſi foret expers
Limitis, haud illi poſſes decernere fixum
In medio centrum. Nec verò alium tibi finge
Mole parem, gyro, poſitu, ac molimine eodem
Extra hunc; quippe ambos vis inſita iungeret; atq; hinc
Centrum in contactu exiſtens ſubuerteret omnia.
Hactenus hæc. Aliò nunc fas diuertere cantum,
Naturæq; alios inueſtigare receſſus.
Ergo, nouas quando cytharas mihi Cynthius offert,
Arbitrioq; ſinit quid malim efferre canendo;
In carmen veniat patrio de carcere turba
Vento-

Ventorum, quæ Nereïdum vada cærula pennis
Peruolat, vnde atræ nubes, vnde horrida bella
Aëris in campis, tempeſtatesq; furentes;
Quarum vbi confuſum tonitru dedit aëre ſignum
Æſtate, inque nigro micuerunt ignea nimbo
Fulgura, confeſtim ſacris de turribus æra
Perniciem inſtantem certant auertere campis.
Non alio vultu natura minacior ægris
Oſtentat ſeſe mortalibus. Hinc cinere atro
Nubila ſuffuſa; hinc nemorum fremituſq;, tremorq;
Tectorum, & vitra, & valuæ, quaſſæq; feneſtræ
Ictibus in poſtes crebris: fugit omnis arator,
Obſcuraſq; pauens muliebre it vulgus ad aras.
Aëriæ interea larices & robora ſtrata;
Pulueris inde ater vortex, mox effera grando,
Aut imber largus, vel turbo obſcurus, acuto
Sibilo, & humanas voces imitante vlulatu.
Tum rauco in præceps ſonitu vis aucta repentè
Torrentum; it latè collectus turbidus amnis,
Vorticibus flauis, lapidoſo ſpumeus alueo,
Interdum & tecta horriſono collapſa fragore.
Vnde adeò vis horribilis, quâ percita fundo
Æquora, & abſorptæ claſſes, vnde impetus errans
In latus obliquo curſu, cognoſcere præſtat.
At tibi ſiqua tenax inſedit opinio quondam,
Halitibuſue putes terreſtribus id tribuendum
Fortaſſe, aut alios quoſuis tibi finxeris ortus;
His præiudicijs animos, precor, exue cunctis,
Et mentem vacuam atq; rudem mihi ſiſte parumper.
Aſſenſus quippe in partem tibi poſtea vtramuis
Liber erit, quò te vis inclinauerit æqui.
Natura ergo priùs tibi ſedulò diſpicienda

Aëris,

Aëris, vnde iſti motus, cæciq; tumultus.
Ergo, velut mundi ad centrum ſunt cætera quæque
Corpora conuerſa, vt te iam docui; haud ſecus illuc
Ingenito niſu ipſe etiam ſe dirigit aër.
Proinde ipſi innata eſt grauitas. Nec plurima deſunt
Ponderis indicia. In primis ſtagni vapor humens,
Particulis aqueis quanquam pertextus, in altum
Tollitur; idq; ideò quòd mole aër ſub eadem
Eſt grauior: Nam ſic pariter detruſa ſub vndis
Subera contendunt leuiora emergere ſurſum.
Præterea nubes, cœli faciem obuoluentes,
In quadam certâ ſidunt regione, quòd illic
Momentis æquis librentur in aëre tenui,
Nec ſe vltra proferre queunt quà rarior æther.
Poſtremò inflatos ſi librâ expenderis vtres,
Ingeſto inuenies ex aëre pondus ijſdem
Acceſſiſſe, quod haud poſſet contingere, ſi non
Æthereæ huic maſſæ grauitas & pondus ineſſet.
Nec te illud moueat quòd non hâc mole graueris
Impoſitâ: Nam ſic pariter ſub gurgite ponti
Qui natat, haudquaquam ſibi deſuper incumbentis
Sentit aquæ cumulum. Satis iſta ſuperq; putarim
Iam conſtare, nec vltra aliud fas addere dictis.
Ne tamen exurgant lites, & pacta retractes,
Subſcribe: aurai te pondus rite dediſſe.
Vlteriùs volo (quod, credo, dabis illico) poſſe
Ætheriam denſari auram, arctariq; premendo,
Inq; minus ſpatium, ſeu vi ſeu pondere, cogi,
Vt res ipſa docet. Tandem dabis aërem eundem
Sic preſſum ac vinctum conari extendere ſeſe,
Atq; omnes tentare vias, ſi quomodo poſſit
Reddere

Reddere ſe ſpatio maiori, & carcere ab illo
Luctando exire, atque arctis ſe ſoluere nodis.
Sic turgentem vtrem aut follem ſi vulnere cæco
Lædat acus, quà facta via eſt, fugit ilicet aura
Cum ſonitu, & victrix erumpit libera vinclis.
Sic quoq; ſi inuerſum cyathum largo ore ſub vndâ
Detineas merſum, hunc ſentis emergere velle
Conatu ingenti, & valido pugnare renixu
Captiuum; quòd nempe, vitro qui clauditur, aër
Anguſtum in ſpatium contractus nititur inde
Exire, impatiens ſeptis clauſtriſq; teneri.
His animaduerſis; Hanc aeris vndiq; fuſi
Suſpice nunc maſſam, quæ circumuallat inertes
Circuitu immenſo terras. Ergo illa deorſum
Ad mundi centrum cùm circumquaq; feratur,
(Vt tibi ſubſcriptum paulò ante) hinc infimus aër
Per vim comprimitur ſtipaturq; aere ab alto,
Quippe graui, incumbente ſuper, deorſumque premente.
Nam tibi ſi fingas congeſtæ vellera lanæ,
Aut plumas auium, aut cumulos niuis vſq; ad Olympum;
Infima, quæ ſubſtant, certè preſſa arctiùs, atq;
Conſtipata ac denſa magis, quàm quæ altiùs extant
Perſpicies animo. Hæc victus ratione fateris.
Infimus ergo aer per vim ſic preſſus, & arctè
In ſe ipſum velut intruſus, luctamine cæco,
Et niſu aſſiduo tacitè ſe extendere pugnat,
Moliturq; fugam, nodiſq; exire laborat.
Nec potes abnuere; hæc ſiquidem præmiſſa dediſti.
Et quanquam tibi pacatus videatur, & inſons
Immuniſq; doli; tamen ille, vt qui tegit iram

Atq;

Atq; odium vultu tranquillo, & fronte ſerenâ,
Diſſimulat vires, donec ſit facta poteſtas.
Nec verò obijcias quòd te conatibus iſtis
Circumquaq; premi non ſentis. Ridicula hæc ſunt.
An capitis pondus ſentis? An crura fatigat
Corporis erecti moles? Aſſueuimus iſtis
Nimirum, oppoſitiq; tibi experientia nulla eſt.
At tibi ſi extemplo, quantùm ampla cucurbita, ceruix
Creſceret; adiecti ſentires illico vires
Ponderis: Et contra, ſi te ætheris vndiq; nulla
Vincla coërcerent, enormiter illico toto,
Inſtar vtris tenti, turgeres corpore. Sed non
A re propoſitâ fas nunc diuertere Muſas.
His igitur poſitis. Si nunc, dum carmina pango,
Ex improuiſo mihi cellula deſtituatur
Aere, & incluſum ſpatium linquatur inane;
Protinus externus (nullo in contraria niſu
Quippe vetante) ſtatim irrumpens valido impete, vitris,
Et valuis fractis rapidus ſuccederet aër.
Scilicet illa diu tunc ira coërcita, frenis
Libera, quà data porta, ruens ſubuerteret omnia.
Sic, vbi concluſâ largus nitet ignis in aulâ,
Per rimas externa ſubit violentior aura.
Sic, vbi ſuccenſis campis fit rarior æther,
Attenuante calore ignis; mox flamine ventus
Ingruit, atq; agros exuſtos ventilat alis.
Hactenus iſta, velis nolis, manifeſta fateri
Cogeris, aſſenſumq; nequit mens æqua negare.
Nunc ades, atq; animos, intentamq; exere mentem.
Jam ſiquidem meta apparet, portuſq; ſubimus.
Exiguus ſupereſt vicina in littora tractus.
Aſpice iam cœlo colluſtrantem omnia ſolem.
Ille

Ille per obliquum callem dum diuidit anni
Tempora, inæquali regiones frigore & æſtu
Afficit, vt radijs magis, aut minùs imminet æquis.
Atq; ideò ætheriam hinc auram ligat horrida bruma,
Incluſamq; tenet per vim. Vis ignea contra
Parte aliâ æſtiuis radijs diſtendit eandem.
Hic nox, ſol alibi medio æthere tempore eodem.
Nec brumæ ſemper tenor vnus, nec calor idem;
Sed nunc horridior facies, nunc mitior anni.
Hinc varios, & inæquales exiſtere preſſus
Ætheriâ circumquaq; in regione neceſſe eſt.
Ergo, vbi vere nouo fugiens hyberna remittit
Vincula hyems; demptis laqueis, volat ilicet aer,
Finitimumq; minùs compreſſum inuadere per vim
Victor ouans properat. Nec non, vbi deſinit æſtas,
Autumnuſq; ſubit; confinis protinus aura
Preſſior extendit ſeſe quà facta poteſtas:
Tantus amor libertatis, regniq; cupido.
En igitur paſſim tibi flabra errantia cœlo,
Halitibus terræ nullis iccirco vocatis
Æolio procul ex antro, ignotiſq; cauernis.
Hinc ventis peragrata diu quandoq; viarum
Longa interualla, & multis perflata diebus
Excurſu regio. Hinc quædam expectata quotannis
Flamina temporibus certis; hinc mutua bella,
Et cæci incurſus, improuiſiq; tumultus;
Hinc iter in latus obliquum, & violentus in orbem
Interdum turbo. Hinc, quoties ventus diu in vnam
Incubuit plagam, preſſo illic aëre per vim
Plus

Plus æquo, ventus reflans contrarius hoſtem
Inſequitur victor; ſed & ille coactus in arctum,
Viribus inde nouis auctus fugat inde ſequentem.
Ac veluti emotâ pelui dum lympha vacillat,
Nunquam illi conceſſa quies atq; otia, donec
A centro mundi iuſto libramine diſtet:
Haud ſecus ipſe etiam nunquam, niſi partibus æquè
Compreſſis, aër placidâ ſtatione quieſcit.
Nec tibi ſit curæ quòd fortè minutula quædam
In tot fortuitis euentis non ita promptè
Explanare queas. Satis eſt ſyſtemate puro
Perſpicuo ac ſolido ſi claro in lumine cernas
Quæ ſunt præcipua, & rerum capita ardua conſtent.

Sed duo præterea haudquaquam reticenda ſuperſunt.
In primis cur libratam medio aëre terram
Iugiter incurrens violento flamine turbo
Non agat in gyrum. Cauſa haud obſcura: quòd aër
Quanto vnam in partem connititur impete, tantâ
Vi quoq; in oppoſitam tendit; veluti capita arcûs,
Diſrupto fune aut neruo, quò curua tenentur,
In partes abeunt diuerſas. Quo fit vt æquis
Momentis tellus hinc atq; hinc acta quieſcat.
Præterea duplex venti genus hinc tibi conſtat,
Atq; hinc naturæ quamplura arcana reſolues.
Nam quoties aër diſtenditur, inuaſurus
Regna aliena, fugâ ex illâ fit tenuior; atq; hinc
Continuò ex altâ cœli regione vapores,
Subductos priùs ex oculis, deſcendere cernis,
Atq; repentinis pertexi nubibus axem,

Queis

Queis terræ aſpectum compreſſior aura negabat.
Tunc etiam è tectis fumus qui proſilit, ægrè
Se tollit, lentiſq; rotis conuoluitur ater
Vorticibus, tardà incluſus caligine, raro
Nimirum grauior tunc aëre. Tum quoq; florum
Senſiter in primis odor, & procul æquor in altum
Cedrorum aura fragrans diſtenditur. At graue olentum
Halitus intolerandus rerum. Tum morientum
Fumantumq; lucernarum execrata mephytis.
Inde cicatricum renouatus ſenſus, eò quòd
Non ſatis exactè futuras faſciet aër.
Quod ſi non ex diſceſſu, ſed lampade Phœbi
Aura relaxetur cœlo; tum vi quoq; eadem
Rareſcet vapor, atq; dies ſine nube ſerenos
Æthere cæruleo tranquillos ire videbis:
Illic præſertim, vnde aër, velut ex medio arcu,
Tenditur hinc atq; hinc à centro, & brachia laxat.
Aſt ibi pigra quies cœlo, imploratāq; nautis
Flamina, præq; æſtu, pars noctis plurima in hortis
Traducta, exertæ canibus linguæ, aridaq: ora,
Corporibusq; ægris languor, vireſq; ſolutæ,
Et ſudor ſponte emanans, laxataq; membra.
Aſt, vbi finitimus properans intruditur aër,
Frigore ab Arctoo liber, poſtquam vndiq; preſſit,
Concluſitq; auram ætheriam, verſa omnia cernis.
Illico diſcuſſæ nubes (ſi fortè ſereno
Obſtabant cœlo nebulæ) quas ſpiſſior æther
Extrudit ſurſum leuiores, in ſpatia ampla
Diſtentis altâ regione vaporibus. Inde
Ex improuiſo facies pulcherrima Olympo
Reddita, cæruleo cui concolor æquore Doris
Arridet vultu: Non feſſis artubus ægra

Torpedo, & languor: Cœlo quoq; morbida abacta
Sæpe lues, tractu aerio quandoq; malignis
Infecto halitibus, quos preſſior expulit aura.
At tibi adhuc animis quædam nubecula, puri
Impedit intuitum veri; neq; credibilem vim
Aeris eſſe putas tantam. Verùm & mihi tantus
Impetus halitibus terreſtribus inditus, æquè
Eſt incredibilis; nec poſſum fingere mente
Cur non aſcendant rectà, ceu flamma, vaporq;
Fumeus, atq; alia, ante oculos quæ expoſta videmus:
Nec video quo obliquentur motore per auras,
Nec quibus egreſſi ex antris ſpecubuſq; ferantur,
Nec cur tam ſubitò reddant ſudum vndique cœlum.
Sed præiudicium ex animis quò deniq; ponas,
Atq; æquis ſtatuas momentis aëriam vim;
Flecte vtraq; manu ramum coryli: Hunc ita porrò
Curuatum inflexumq; perexiguâ retines vi,
Scilicet in quoſuis facilem deſcendere flexus.
Iam dextram remoue: dicto ocyùs illico ſeſe
Diriget; inque genam ſi fortè incurrerit, inq; os,
Liuida ſenſificæ vibicis ſigna relinquet;
Tam ſubito ac rapido diſtenditur impete in auras.
Quantò ergo id magis efficiet vis aeris? illa
Vis, inquam, argentum quæ mobile ſuſtinet vsq;
Triginta ad digitos vitreo in ſiphone premendo.
Illa tamen redit vsque tibi mens praua, quòd iſtam
Vim minimè ſentis. At, ſodes, calceus ille,
Quo tibi pes arctè induitur, cur ille dolorem
Non ciet aſſiduo preſſu, quo vinctus adhæret?
Hunc

Hunc ego ferre vtiq; haud valeam, nec credere
poſſim
Inde cutem haudquaquã tibi aduri. Tu tamen arcti
Compreſſiq; nihil ſentis. An fœmina cinctu
Adſtricta ad coſtas, arctisq; gracillima nodis,
Quâ neq;, ſi ſpectes, ſubſtrictâ exilior aluo
Sectator leporum venaticus Vmber, an illa
Sic vincta, exactis tribus horis, compedis huius
Vim ſentit? Nihil ex iugi iam percipit vſu..
Quod ſi ita compreſſo thorace in luminis auras
Te fingas exiſſe, nihil tunc te, nihil vſquam
Afficerent prorſus ſtricta illa ligacula, tecum
Nata. Eadem aërijs de nodis diſſere prorſus,
Quos tecum vehis, à primis circumdatus annis.
Denique, vt hunc ipſum preſſum experiare,
docebo,
Si tamen iſta tuo cupias addiſcere ſumptu.
Ergo per hybernas noctes ſudo aëre ſtellas,
Recluſis vitris, expoſto vertice ad auras,
Contemplare diu, gelidam conuerſus ad Vrſam,
Nocturno ſine pileolo. Idq; vbi præſtiteris ter,
Fortè tibi fauces rheuma, aut angina peruret,
Vnde cucurbitulis medicis ſis rite leuandus;
Quas humeris fixas vbi ſenſeris, experiere
Vim quandam tibi terga, graui ceu mole, pre-
mentem.
Aëris hic ille eſt niſus. Pars quippe tumeſcens,
Quæ ſubſtat vitro, premitur tenui aere; namq; hic
Vi flammæ euaſit iam laxior; vnde propinquas
Diſſimili vi compreſſas diſcernere partes
Tunc potes, & ſenſu certo diſcrimina noſſe.
Non aliter quàm ſi digitum circùm vndiq; filo
In ſpiram ducto religaueris, vnaq; tantùm
Libera ſit nodis pars, quam turgeſcere cernis

Extantem reliquis: Haud ſecius aëre circùm,
Ceu filo, adſtricto tibi corpore, pars minùs arctè
Compreſſa, impoſito vitro ſubiecta, tumeſcit;
Vnde alias quadam deuinctas compede ſentis.
Pluribus hanc poſſem tibi vim ſuadere latentem.
In primis vtres in ſumma cacumina vecti,
Altior aura vbi preſſa minùs, magis inde tumeſcunt.
Deinde incluſa globo vitreo ſi flaccida, clauſo
Ore, tibi fuerit veſica; inde aera ſuctu
E vitro educas; ſenſim illa ad quoslibet hauſtus
Diſtendet tumefacta aluum: & quò tenuior aura
Fit circùm, tantò captiuus preualet aër,
Et rugas, laxosq; ſinus conamine tendit
Ingenito: immò ipſa interdum membrana fatiſcens
Finditur impatiens, bombo diſploſa ſonoro.
Neue metu vacui credas ipſum vndiq; vitrum
Vnguibus iccirco natis apprendere fibras
Pelliculæ incluſæ, & velut hamis funiculisq;
Pertrahere ad ſeſe, diſcriminis atq; pericli
Admonitum. Hic vacui terror, celeberrimus olim,
Nunc abijt. Nec fas veterum complexibus arctis
Singillatim apici cuicunque inſiſtere, vt hæret
Polypus affixus ſcopulis, vt cochlea conchis,
Vtq; edera antiquis muris, & cautibus oſtrea.
Sed non vlteriùs mihi fas procedere carmen
Auſterum. Quod ſi te Muſa huc vſque ſequacem
Traxerit, anteriorq; omnis tibi pagina forte
Venerit ante oculos; ſupplex quoque pars reliqua orat Obſe-

Obſecratq; velis ad metam ferre propinquam
Tædia. Quòd ſi vltra nequeas faſtidia Pindi
Noſtra pati , impenſo grates huiuſq; labori
Muſa refert ; atq; vt valeas lætus ſine curis,
Et ſine litibus , acceptus Phœbo atq; Mineruæ,
Incolumisq; diu, ſuperos tibi grata precatur.

Digitized by Google

DISSERTATIO QVINTA.

ARGUMENTUM.

Pauca ex natura operibus nobis eſſe comperta. Hinc obiter animi immortalitas arguitur. Pleraq; ex his, quæ nouimus, Matheſi debemus, quæ non modò recondita, ſed plura etiam vulgaria certis rationibus nobis exhibet. Hinc tranſitus ad viuentia; & primò quidem ad bruta, quæ non ſunt mera automata, ſeu machinæ, vt volunt Carteſiani. Eorundem animas non eſſe modos ex corpuſculorum diuerſo poſitu reſultantes, quemadmodum & cætera quæq;, vt volunt Epicurei, quorum Philoſophia poſtremò recidit in ſententiam quorundam Brachmanum, aſſerentium omnia compingi ex fruſtillis nihili diuerſimodè ſecti. Denique animas brutorum nullâ ratione eſſe præditas, quod quidem in ſequentem diſſertationem reijcitur.

NAturæ ingenium, admirandaq; vincula rerum
Nox ſuperiniectis cuſtos tegit alta tenebris;
Nec niſi pauca ſinit ſplendeſcere luce malignâ
Per nebulas, atq; illa etiam vix peruia paucis.
Cætera ſecretis latebris abſcondita ſeruat.
Hinc animum potes immortalem agnoſcere. Namq; hæc

Machina tam ſcitè diſpoſita à numine, quorſum
Deniq; tanto opere è nihili diſcluſa profundo?
An ſupremus vt inde opifex quidquam vtile, egenus
Nimirum, ſibi perciperet? Num meſſis, & auri
Indigus ille ſui? Quorſum, inquam, hæc omnia demum
Expoſita? Id certè (quantùm mortalibus eſt fas
Arguere) vt ſummo mens excita contemplando
Artifici vectigales deferret honores.
Nam ſi (finge tibi) humanum intereat genus omne,
Nec ſerie in rerum tantâ mens vlla ſuperſit,
Sed dumtaxat araneoli, ranæq; paluſtres;
Tum ne iſtis ſolem conuerti, atq; aſtra deceret?
Num conueſtiri tellurem vere quotannis
Flore nouo? atq; opus exactum molimine tanto
Deſeruire vagis crabronibus, atq; lacertis?
Non ſtudium, atque artem, non curas numinis omnes
Proiectas miſerè tum dixeris? Ergo theatro
Nos ſpectatores voluit ſibi Numen in iſto,
Vnde ipſi, egregio ex operis molimine, plauſus
Et meritas laudes mens admirata referret.
Quod tamen obſeſſi nebulis haud poſſumus, iſtam
Dum trahimus miſeri tenebroſo in carcere vitam.
Quanquam etenim ſparſim ſcintillent plurima veri
Fragmina, diſiecta hàc illàc; tamen vſq; tenebris
Totius admirandi operis latet abditus ordo,
Quem ſtudio eruere in lucem conamur inani.
Nam velut, expoſito perplexo ænigmate, plures
Certatim exacuit ſoluendi gloria nodi:
Hic ouum, ille vuam, hic puteum putat eſſe profundum,

 Atque

Atque aliquid quiſque attentando accommodat ad rem;
Sed nuſquam parte ex omni res congruit vlla
Propoſito grypho. Haud ſecus admirabile textum
Naturæ fruſtra meditando euoluere ſperes,
Cui ſi quem ſtudio nodum extricaueris, inde
Centum alios naſci ſubnexos illico cernes.
Adde quod hanc ipſam ſeriem, ſcenamque patentem
Pauci adeò curant, plerumq; ad inania verſo
Ingenij obtutu, terris aſtriſque relictis.
Non ſecus ac quoties, pompâ redeunte quotannis,
Quâ clauſum numen cereali in nube per vrbem
De more excipimus, ſparſo per compita flore,
Deſuper extentis velis, feſtoque paratu;
Vndique vicinis è pagis conuena agreſtum
Turba vias implet, muriſque hinc ſuſpicit atque hinc
Picturas paſſim varias; non illa Thymantis
Hetruſci telas, aut Veronenſis Apellis
Stans admiratur: Sed, ſicubi fortè tabernâ
Proſtet ſimiolus pictus, qui tympana pulſet,
Inque pedes recti ducant circùm orgia mures,
Attonitorum illuc verſa illico ruricolarum
Ora vides, illuc plaudentum conflua turba
Vſque moras trahit, atque viam cœtu impedit arctam:
Haud aliter diuini operis ſpectacula mira
Ruſtica mens hominum, cùm non intelligat artem,
Vix curat, lunæque ſuos finit vſque labores,
Syderibuſque ſuos ignes, choreaſque relinquit,
Mente aliò intentâ. Hinc laudes ſibi vindicat omnes
Aut marmor ſculptum, aut horaria denticulatis
Machi-

Machinula acta rotis, cryſtallo incluſa, vel auro
Aut villa, aut tectum parijs ſublime columnis.
Stelliferi interea templum admirabile mundi,
Immortale opus, aut tenebris offundimus atris;
Vt nihil in tantâ caligine conſpicuum ſit;
Aut illud modulo noſtro metimur ineptè
Artibus humanis vulgaribus, vt nihil inde
Ampliùs ad laudem quàm viſi cuique reſultet
Artifici ex humili vico, obſcuraque tabernâ.
Ergo aliquando erit vt tandem ſecreta ſuarum
Maximus ille opifex pandat myſteria rerum.
Idque erit, obſcuro cùm demum è corpore nuda
Euolet in ſuperas ſedes mens libera vinclis;
Erroreſque illinc veteres deſpectet ab alto.
Tunc rerum nexus, tum decertata tot annis
Prælia diuerſis ſtudijs compoſta videbit.
Atque vt conijcias quæ ſint ſeruata beandæ
Humanæ quondam menti; tibi contemplandus
In chartâ ante oculos deſcriptus circulus eſto,
Qui vix à nihilo diſtat. Quot, quantaque rerum
Ille ſuo includit (ſuperi!) miracula gyro!
Quantùm ille ingenijs hominum ſupereminet! Vt mens
Attonita inuentis hæret! Quid ſi ille latebras
Nondum exploratas, penituſque arcana ſepulta
Ante oculos aperire queat? quibus ille teneret
Prodigijs animos! Iam ſi tot mira repoſta
Cernimus in ſpatio, quo nil macilentius, & nil
Tenuius, ac nihilo propiùs tibi fingere poſſis:
Quid ſi deinde ſuos pandat natura receſſus?
Et ſeriem immenſam rerum, & primordia cernas?
Hæc olim ſpectacula erunt tibi peruia in ipſo
Numine (ſpero equidem) poſt longæ tædia noctis.
Nunc verò conceſſa breuis mora carcere in iſto,

Non ideo vt contemplando ſcrutere latentis
Naturæ arcanos aditus; ſed vt illa perennis
Parta tibi ſtatio in tuto ponatur, ibique
Denique inexhauſto videas in lumine verum
Æterno intuitu felix. Hinc prima ſciendi,
Primaque agendarum lex certa, & regula morum
Sit tibi religio & pietas, atque abdita velo
Cæca fides, lateri quæ cuſtos hæreat; illa,
Quam ter ſena vides per ſecula continuò ire
Per capita, à primo ſibi ſuccedentia rite,
Romano è ſolio leges & iura ferentem,
Nunquam interruptâ ſerie. Quo tempore miris
Cætera per terras vicibus ſors omnia ferme
Miſcuit, & populos, atque vrbes regnaq; vertit.
Illa tamen manet vſque eadem, æternùmque manebit,
Quantumuis toties reſerarint impia contra
Infernos (nec adhuc deſiſtant) Tartara poſtes.
Ergo huic ſi quiſquam nebulas offundere cæcas
Audeat, atque aliena tibi & noua ſubdolus auctor
Ingerat; hunc tu ſupremi mandata tonantis,
Commiſſumque ſibi munus proferre iubeto.
Qui ſi cœleſtem genium ſe dixerit; hunc tu
Hæc eadem mandata iube tibi ſiſtere; qui ſi
Hæc ipſa ante oculos ſubſcripta oſtenderit; ipſa hæc
Scripta caractere ementito protinus abs te
Reijce. Nam ſiquid rector velit ille ſupernus
In terris, habet ille, ſuas qui ſuſtinet inter
Mortales, ſeruatque vices; atque illius ore
Edicenda palàm ſuprema oracula. Nec lex,
Nec vox eſt alia interpres, nec nuncius ales
Idcirco demittendus. Quantò minùs amens
Vinoſuſque aliquis nebulo, qui dogmata eodem

Ore

Ore merumque vomat, Læneo percitus œſtro?
Aut aliquis macer inuidiâ, pallenſque profundo
In ſuperos odio, Regiq; Deoq; rebellis
Sacrorum euerſor ad munus tale ciendus?
Hæc monuiſſe iuuat ne contemplatio rerum
Naturæ, cupidam famæ & nouitatis amantem
Tranſuerſam in ſcopulos per iniqua & deuia mentem
Pertrahat interdum, quæ te deducere rectà
Debuit ad primam indeflexo tramite cauſam.
Verùm, vt, digreſſus ſpatia in longinqua, reſumam,
Vnde orſus fueram, carmen. Pauciſſima nobis
Comperta aiebam naturæ, eademque matheſi
Pleraque conſpicimus præeunte. Huic addere mentem
A teneris annis fas eſt. Non illa ſonoras
Altercando implet clamoſis litibus aulas;
Sed placido ſimilis fluuio perlabitur altis
Hinc atq; hinc ripis. Nec celſa abſtruſaq; tantùm
Perſequitur; ſed & illa, oculis quæ expoſta videmus,
Hâc duce, longè alio intuitu manifeſta tuemur.
Quod poſſem exemplo non vno oſtendere. Nam ſi
Abs te quæſierim cur mercibus atq; metallo
Fœta ratis, pelago commiſſa, ſupernatet vndis,
Nec liquidos findens latices petat vſq; profundum;
Contra autem id nequeat paruus lapis; illico cauſa
Hæc tibi prompta aderit, quod moles æqua lapillo
Si ſtatuatur aquæ, leuioris ponderis hæc ſit;
At grauior contra, ſi moles liquida, naui
Æqualis fuerit ſumpta. At non hinc liquidò rem

Perſpicio. Nam cur demum ratis illa premendo
Parte ſui latices aperit, finditque carinâ
Subiectam lympham; nec eodem pondere eandem
Vlteriùs penetrat, quando ſolidi nihil vſquam
Inuenit obſiſtens? cur non ferit altiùs vndam,
Quæ vulnus minimum, & zephyri quoq; flamina ſentit?
At tibi rurſum eadem ratio redit, & nihil addis,
Præter ſublatos humeros, vt more receptum eſt,
Cùm nihil occurrit reliquum. Quid ſi tibi cauſam
Et libræ & nauis Galileus prorſus eandem
Eſſe velit? Nox continuò tibi plurima mentem
Inuoluet, nec enim lances, nec brachia cernis,
Nec ſuſpenſa vides è centro pondera vtrinq;,
Et fortaſſe putas ſubſtrato gurgite lympham
Suſtentare ratem tergo; cùm rem tamen omnem
Conficiat tantùm circumflua, quæ latera ambit.
Iam tibi ſume cauum ſpeculum. Faciem tibi reddet
Immani quantam pario de marmore ſculptam
Effigiem ſeruant Capitolia Veſpaſiani.
Quod ſi paulatim à vitro, ſenſimq; recedas,
Iam nihil aſpiciés. Mox te ipſum ante ipſius orbem
Chryſtalli inuenies inuerſo corpore, in altum
Sublatis pedibus, verſâ ceruice deorſum.
Centum alios nodos tibi dia hæc ſoluet Amazon.
Sed quoniam hæc claudi nequeunt (quippe ardua) metro;
Rurſum aliò iuuat inconſtantem vertere cantum,
Naturæque alios iterum explorare receſſus.
Ergo age, quæ primùm ſeſe obuia ſorte tulere,
In carmen veniant Viuentia: Primaq; ab antris,
Et nemorum latebris, patrijſque cubilibus adſint
Excita

Excita Pierijs numeris animantia bruta.
Sed priùs an vigeant ſenſu, num ſole fruantur,
Num videant, doleantque, an vitam denique viuant,
(Quandoquidem lis orta ſuper) decernere pręſtat.
Pulchrum eſt indicijs quoſdam deprendere certis,
Gloriola ingenij & famæ quos inflat inanis;
Hoſque ita venari, vt, quo quis deprenditur, aſtum
Neſciat, & pauci norint; idemque prehenſus,
Stultorumque albo adſcriptus, tum denique ſeſe
Sublimem circumſpiciat, vulguſque profanum
Deſpiciat, plenuſque ſui ſe tollat in auras.
Hanc artem tacito conſenſu callida ſecta
Prudentum, vt fertur, ſecreto fœdere iunctis
Conſilijs, noſtro feliciter attulit æuo.
Illa igitur ſtudio atque aſtu permiſcuit altis
Naturæ inuentis quædam lepida, atque iocoſa;
Quò ſtolidos ſparſim ſapientibus intermiſtos
(Quod magni intererat) facilè reſpublica noſſet;
Helucoſque omnes diſperſos, prouidè in vnum
Ad varios vſus collectos vndique haberet.
Nec caruit res ſucceſſu. Inter cætera & iſtud,
Ingenijs promptis atque acribus experiundis,
Aere propitio Bœotum creuit in aruis
Seſquipedale ſiſer. Nimirum animantia bruta
Non aliud fore (quanquam aliter res credita ab vſque
Dardano, & Euandro) quàm quædam mira latente
Ingenio ſtructa automata, vt chartaceus ille,
Manfredi Septalij opus mirabile, Faunus;
Cui ſi prætentam demas tabulam, ora repentè

Exerit

Concoquere ingenio, cui talibus excipiundis
Ventriculum cerebri natura indulſerit aptum;
Quid non hinc ſperent? Neſcis Bœotia quantùm
Humanis rebus proſit, pinguiſſima nempe
Ante alias regio, decies vbi cultor in annum
Et ſerit, & metit; & quidquid felicibus aruis
Seuerit, extemplo, iactis radicibus altè,
Pullulat, atque adeò ad votum fert omnia tellus.
Quanquam ego nonnullis vereor ne fortè ſub iſto
Contractus fungo ſubſidat lethifer anguis.
Nam, quæſo, in brutis cur vitam machina ſupplet?
Cur rotulis iſtis intrinſecùs acta feruntur?
Cur? quia nempe, aiunt, hominum ſecus atque ferarum
Vna eademque foret natura, atq; exitus idem;
Atque iccirco animas ex æquo aut interituras,
Aut immortales fateare vtrinque neceſſe eſt.
Hæc illi. Atqui hominum generi (pauciſſima quædam
Si capita excipias) citiùs perſuaſeris atram
Eſſe niuem, quàm non animalia viuere (namq; hęc
Naturæ vox eſt, quam quiſque intelligit; & tu,
Tute, inquam, hæc pariter reputas deliria vana,
Inque ſinu rides, ſi quiſquam aſſenſerit) Ergo
Inſertus laqueo quid iam, maleſane, quid infers?
Quid? cedo. Nonne vides vt cuſpidis alterutrius,
Quam gerit hoc bifidum telum, tibi peſſima inhęret,
Scilicet illa, animum quæ diro interficit ictu?
Hoc igitur conſtans eſto: Ficta iſta licenter
Somnia nec doctos homines, nec fallere poſſe
Ignaros penitusq; rudes: Hos quippe magiſtra
Natura inſtituit; mens illos æqua tuetur.

Hi,

Hi, quibus iſta hærent, plerumq; eſt inter vtroſq;
Gens media; Ingenij ſpecie quam gloria quædam
Allicit vt quidquid rari celebratur, & ipſa
Id ſentire velit, rerum ſtudioſa nouarum,
Nec mentis penitus ſolidæ, nec prorſus inanis,
Nec ſatis ingenio pollens, nec prædita nullo.
Verùm, inquis, facilè eſt ſatyrâ rem ſoluere; ſed non
Oppoſitum certâ ratione euincere poſſis,
Et ſiquid potes, aude animis contra. Aſt ego contra
Nil valeo; immò iſtud protendere latiùs opto
Inuentum egregium, & te etiam lubet, automata inter
Adnumerare. Igitur cur non ſis tu quoq;, ſodes,
Machina vitæ expers cupio abs te denique ſcire.
Audio quid contra regeras, quo tela repellas:
Ridiculum nempe eſt, talem ſi credere poſſim,
Reſcire id velle ex te ipſo, & miſcere viciſſim
Colloquia: hoc ipſo mentem tibi largior, inquis.
Teq; ex automato ſoluo. Sed falleris; ipſos
Nam catulos pariter, quanquam ſint machinæ, vti vis,
Alloquimur tamen, & rogitamus plurima blandè.
Illi autem contra (nam vox demiſſa per aures
Trocleolas rotulasq; mouet) latratibus vſque,
Et flexu caudæ, & ſimulatis morſibus aptè
Reſpondere ſolent. Mihi rara proinde voluptas,
Quod tu etiam, ſensûs licèt expers, murmure vocis
Excitus, vſq; adeò viuo ſimilis videare,
Vt nequeam talem non credere; cùm tamen haud ſis
Viuentum in numero. At vitam, inquis, ſentio, mentemq;
Ex-

Experior. Viden' vt ſcitè argutèq; , latente
Interiùs technâ , reſpondeat hæc ſine ſenſu
Machina? Non ipſi quandam ratiunculam ineſſe
Iurares , vitamq; dares? Tamen illa nec audit ,
Nec ſentit quidquam. Motus reſponſaq; cuncta
Glans quædam cerebri peragit. Viuo , inquis , &
ad rem ,
(Quod ſecùs haud poſſem) reſpondeo conſona
dictis.
Audi iterum vt prompto me vafra redarguit ore?
Atqui etiam catuli percuſſi fuſtibus , ad rem
Reſpondere ſolent gemitu ; vox illa dolentum
Conſonat ipſa etiam baculo , dominoque vocanti
Reſpondent propero greſſu . Heus , ſodes , viden'
vt te
Suſpenſum trocleis teneam ? & , ſi perſequar , ægrè
Effugere hinc poſſis? Iam liber machinâ ab iſtâ
Tandem exi , & vitâ fruere: at ſine tu quoque
vitam
Et ſolem miſeris animantibus. Hæc tibi porrò
Sufficiant ; nam ſunt quædam ſic abſona , vt ægrè
Confutare queas , ideo quòd fœdius vſquam ,
Et peius nihil inuenias. Sed nec minùs illud
Stultum atq; aſſenſu indignum , quod vita ani-
mantum
Non ſit res quædam , ſed neſcioquis modus , è re
Proſiliens , veluti ſculpto de marmore prodit
Pallas , vt ex lapidum poſitu domus , vtq; ve-
nuſtas
Ex membris ſcitè digeſtis: ſic quoq; fontes ,
Marmora , lux , frigus , calor , aſtraq; non aliud
ſint
Quàm varijs diſpoſta modis corpuſcula , nullo
(Præter diſſimiles facies) diſcrimine ; quorum

Sci-

Scilicet ex vario poſitu cuncta iſta reſultent.
His Epicureus poſtremò in bella reuerſus
Viribus atq; armis fidèns iacit vltima tela.
At te Brachmanum de gente ex Gange remotò
Gymnoſophiſta ferox dura in certamina poſcit.
Vulgus, diſcede hinc atq; hinc, ſpatiumque relinque
Et campum pugnæ. Dedit ærea iam tuba ſignum:
Vltimus hic labor eſt: Huc ad ſpectacula, Muſæ.
Ergo ille, Indorum pingui ſtolidaq; Mineruâ,
Aſſerit ex nihilo, varia in fruſtilla reſecto,
Conciſoq; modis varijs, quæcumq; videmus,
Omnia conflari. Vereor ne te quoq; eodem
Pertrahat, ac demum cogat cuncta iſta fateri
Eſſe modos nihili. Res ardua fortè videtur:
Verùm animos præbe. Vacuum ſibi poſtulat vnum
Ex illis, quæ tu raris admittis ineſſe
Corporibus; vacuum tale autem, quod queat inde
Taxillo exiguo repleri. Iam ſpatium ergo
Iſtud inane, tibi nihil eſt (nam, corpore dempto,
Cætera nil prorſus tibi ſunt) Sed idem ſpatium iſtud
Eſt cubicum: ergo *nihil* cubicum dare cogeris. Ictum
Hunc primum perferre nequis, quin viribus haſtæ
Subſidat ſonipes, tuq; hinc atq; inde mineris
Caſum vndabundus, ceu vento fraxinus. Imple
Nunc, atomo insertâ; vacuum iſtud. Iam quid habes hinc
Ampliùs? ecquid habes tandem? Dimenſio vtrinq;,
Atq; figura eadem prorſus. Nihil inuenias, quod
Addideris, niſi duritiem. Sed, quando dediſti
Iam

Iam nihilum, ſodes, longum, latum, atque profundum;
Ille etiam nihilum durum ſolidumq; dari vult,
Quippe modum *nihili* ex æquo fore cenſet vtrumuis.
Nec facilè eſt, vt fortè putas, eludere telum.
Ecquid enim eſt aliud (circumſpice cuncta) quid, inquam, eſt,
Quod fieri ſolidum potuit? Num duritiei
Fortè aliud ſubſtare velis, in quo illa reſidat
Excepta hoſpitio, velut impetus? Hæc Peripatum
Naribus emunctis redolent procul, vt calamintha,
Vtq; thymum, & nardus digitis trita. Abnueris-ne
Eſſe modum? At ſæuus contra aduerſarius inſtat:
Ductilitas, fluor, aſperitas, frigus, calor, ignis,
Terra, metalla, orbes cœleſtes, cætera quæq;
Sunt modi. Vt ex iſto numero mihi demere nunc vis
Duritiem? quo iure negas? Hanc aſſero eundem
In cenſum. Quid contra audes? Ergo illa recepta eſt
In ſpatio, hoc eſt in vacuo, hoc eſt in nihilo: Ergo hinc
Illa eadem nihilum durum ac ſolidum tibi præſtat.
Ergo ex fruſtillis nihili tibi cuncta reſultant.
Ergo, non animæ tantùm, ſed & ipſa reſorpta
In nihilum fugiunt tibi corpora. Cernin' vt inſtet,
Admoto ad iugulum tibi ferro? Tu tamen obſtas,
Atq; in materiem Peripati hæc ipſa reuulſa
Tela retorquere aggrederis. Sed falleris: Huius
Quippe auctor ſectæ, tot quando naufraga vidit
Ingenia, atq; magiſterij ſubducta latere
Arcana; hunc ſcopulum gyro eminus ambijt amplo

Alta

Alta tenens. Nec materiem tibi protulit vllâ
Sub facie. At rebus quiddam commune nouandis
Subſtrauit, denſaq; illud ſub nube reliquit.
Vt verò educta in lucem forma inde reſultet,
Sola videt ratio, ingeniti ſibi luminis vſu.
Illa etenim ex ſemet pariter ſoboleſcere ſentit
Notitias genitas rerum; Nec promit eaſdem,
E puteo veluti ſitulis educitur vnda,
Nec velut è ſectis lignis compingitur arca.
Sed, quamuis ignara modi, noua germina ſentit
Aſſiduè occultâ quadam propagine naſci.
Hinc quadam ſimili ratione exurgere formas
Poſſe videt; remq; exemplis ex arte petitis
Exprimit, atq; operum fabrilium imagine adumbrat.

Deniq; (quod magni refert) id ſcire neceſſe eſt.
Nimirum quoties ratio, cogentibus acta
Abſurdis, aliquid tormentis victa fatetur
Extare in rerum ſerie; vix percipit illud
E ſummâ cute, vix multâ cognoſcit in vmbrâ,
Remque illam irrequieta alis circumuolat vſque
Nam facies veri nebulis tunc obſita, & atro
Septa latet veluti fumo. Mens ergo coacta
Materiem rerum primam, ceu pendula fune,
Extorto aſſenſu per vim concedit. At iſtud,
Compedibus quoniam, neruisq; adſtricta, metuq;
Supplicij dedit; vlteriùs cognoſcere vellet;
Sed fruſtra. Namq; vt numeros habet Algebra quoſdam
Surdos, quos nunquam poſſis deprendere ſenſu;
Senſilibus tamen è numeris ſumptâ ratione,
Obſcuros vtcunq;, velut per nubila, cernis.
Haud aliter quoq; materiem tibi ſiſtere nunquam
Sub certâ facie poteris, niſi ſenſile ab arte
Sumpſe-

Sumpſeris exemplum, vnde aliquam latrantibus offam
Senſibus obijcias. Verùm tibi reſtat Achilles
Ille ferox, quòd nempe artis molimine plura
Diuerſas ſubeant miro diſcrimine formas,
Ex vario poſitu natas. Sic pagina libri,
Quam legis, hæc eadem fuit olim ab origine linum,
Quod maceratum vndâ, contuſum, in fila deinde,
Ac demum in ſtrophia, & mappas, & lintea ductum,
Inde iterum merſum, reſolutum, ac deniq; crate
Diſtentum, in folium poſtremò euaſit. Vt ergo
Res eadem potuit tot vultus ſumere; cur non
Sic potuit prodire arbor? Iamq; hinc tibi vita
Incipiet primò vegetantum, haud indiga formę
Illius exoſæ, quam clamoſa atria iactant.
Inde ad bruta gradus facilis, procul à Peripati
Obſcuris nebulis. Sic puro in lumine tandem
Cuncta expoſta vides. Sed quisquis ſic pedetentim
Inſidias tacitas animæ ſtruis, incipe verſo
Ordine; teq; ipſum priùs excute. Non tibi certè
Lini inſtar texti vel chartæ eſt illa facultas,
Quâ creſcis, ſentis, intelligis, atq; moueris.
Et quoniam in brutis animantibus huic ſimilem vim
Conijcis indicijs ex pluribus; his quoq; ineſſe
Principium quadam ſimili ratione fatendum eſt
Cuncta regens; nec diſſimili ratione eadem vis
Arboribus tribuenda, alijsq; ; licèt variarum
Nonnulla ex textu rerum compoſta reſultent.
En igitur, tuus iſte iacet metuendus Achilles
Deniq; ſtratus humi, muris deiectus ab altis,

Quò

Quò ſeſe , appoſitis ſcalis , in ſumma gradatim
Defenſus clypeo prouexerat arduus enſe.
His itaq; exploſis , portentum deniq; reſtat
Haud reliquis impar: quod ſcilicet inſita brutis
Sit ratio , atq; animi dos quædam , vtcunque , puſilla.
At tibi , lector , erit quid agendum fortè per vrbem ,
Curandumue domi , quod te præ carmine noſtro
Sollicitum teneat. Priùs ergo illa expedi. Ab omni
Nam volo te curâ exemptum. Interrupta deinde
Carmina , ſi vires ſuperent vtriq; , ſequemur.

DISSERTATIO SEXTA.

ARGUMENTUM.

Vnde ſectarum tanta diuerſitas, & opinionum exceſſus. Id partim humanæ inſcitiæ, partim auræ populari tribuendum, partim etiam quòd prima principia, humanæ menti ingenita, in controuerſiam reuocamus. Quomodo eadem prima principia à præiudicijs diſcerni poſſint. Id tamen differtur, aſſumptâ iterum quæſtione de brutis, quibus nulla vis rationis ineſt, licèt quædam videantur conſultò perficere. Hinc tranſitus ad animas hominum, ipſiusq; naturæ auctorem Deum; Sed priùs præiudiciorum, ſeu veri & falſi diſcernicula, exemplo potiſſimùm lucis, ſtatuuntur; quibus diſſertatio clauditur, cæteris in ſequentes reſeruatis.

NEſcia mens hominum medio conſiſtere. Iniquis
Callibus in præceps per deuia malumus ire,
Quàm tritum per iter, quò naturæ orbita ducit.
Vt primùm harmonian agreſtibus attulit olim
Auriculis (*a*) Samius vates; peſtis numerorum
Omnia corripuit quamtocyùs harmonicorum.
Ætherios etiam perlata eſt muſica in orbes,
Nec

(*a*) *Pythagoras.*

Nec cœlo ſtetit: Ipſam hominis vitamque animamque
Harmonien quandam dixere. Alia attulit ætas
Prælargam annonam vitæ, quâ viuere mundum
Ipſum etiam, ceu quoddam animal immane, putarunt.
Tum veri (a) ſpecies ſecretæ à rebus & omni
Materiâ exutæ, ceu numina. Deniq; formæ
Innumeræ inuectæ; platanisq; vlmisq; reſectis
Forma inprouisò quoq; nata cadaueris. Exin
Corpora quæq; adiunctorum tunicata trecentis
Pelliculis, quot nec ſiccis induſia cæpis.
Centum alia, vltra æqui fines, rectiq; tenorem
Bacchantes hominum mentes portenta tulere.
Haud ſecus hi ſenſum demunt animantibus; iſti,
Conuerſis vicibus, rationem ſenſibus addunt.
Fortè roges, vnde iſta (iuuat diuertere paulùm;
Nec ſine meſſe aliquâ ac prædâ fortaſſe reuertar)
Scire, inquam, cupias, vnde hæc diſcordia tanta,
Vnde adeò rerum cauſæ in diuerſa trahantur,
Ac demum vnde adeò fœda atq; immania monſtra.
Cauſa vtriq; in promptu; nimirum in nocte ſepulta
Mens hominum. Hinc, velut ille puer, cui vitta coërcet
Circumducta oculos, æquales inter ephebos
Curſitat hàc illàc, ſi quenquam fortè prehenſet;
Quem ſimul ac tenuit, ſubducto deniq; velo,
Non illum eſſe videt, quem credidit: Haud ſecus atris
In tenebris cæci diſcurrimus; vltima donec
Obſcuram ex animo nubem detraxerit hora.

Præte-

(a) *Idea Platonis.*

Præterea eſt quidam interdum fauor, auraque ſpirans
Nunc his, nunc illis, aduerſa, aut proſpera ſectis;
Quo fit vt alternis vicibus ſurgantque cadantque;
Exoriturque lues quædam, atq; epidemicus error,
Corripiens ægras hominum latè vndique mentes.
Scilicet in ſacris potes oratoribus iſtud
Cernere. Sæpe aliquem, neſcis vnde ortus, in altum
Conſenſus populi tollit, creſcitq; ſubinde,
Ceu rapidus torrens. Concurritur vndiq; ſpiſſis
Ordinibus; ſtipata arctè auditoribus omnia.
Quodq; ſatis nequeas mirari; pleraq; turba,
Attonito vultu, velut agri terminus, aſtans,
Ex dictis nihil aſſequitur, nil percipit aure,
Confuſum præter tonitru, quo templa reſultant.
Et tamen adnixi mento, patulo ore, ſonoræ
Abſorbent horæ faſtidia longa. Peracto
Eloquio donec, famæ ingens murmur oberrat
Vndique ſublato plauſu, quem congerit vna
Conflata ex cunctis vox indiſcreta per auras.
Hunc alibi deinde, hunc ipſum fac deferat aura,
Fac ceſſet fauor & ſtudium; verſa omnia cernis.
Infelix ſacris picturis, & ſimulacris
Interdum, atq; aris diuûm, murisq; perorat.
Rari auditores, & quos fortaſſe coëgit
In tutum aut pluuia, aut ventus. Nec fœmina ſtamen
Mendica ante fores, populi ſecura ruentis,
Curſantumq; canum ludis patet area templi.
Haud aliter ſectas ſtudijs popularibus actas
Sors quædam exagitat. Nimirum, vbi plauſus & aura
Conſpirant; ſapientum etiam vis pertrahit illuc.

Nolentum perſæpe animos, ne bilis amaræ,
Aut odij cæco videantur vulnere læſi;
Nec quiſquam in ſe vnum velit irritare ſonantum
Crabronum inſtructam prælongâ cuſpide turbam.
Præterea ſunt quædam animis partita quibuſuis
Stamina prima, quibus ratio ſibi cætera texit,
Abſoluitq; opera: Ingenio nec tendere cuiquam
Vlteriùs fas eſt; nec enim quidquam priùs vſquam
Inuenias vnde illa queas deducere. Ne quis
Iſta tibi porrò rapiat patrimonia mentis
Sollicitus timidusq; caue. Faculam tibi viuam
Iugiter hanc cuſtos ſeruet laternula, quâ te
Natura ingenito deducit lumine: Quippe, hoc
Extincto, in præceps ibis per deuia. Ne tu
Quid ſpatium ſit, quid motus, quid tempus, & iſta
Prima audax tentare velis; Clariſſima nam ſunt,
Donec nil moueas. Sin autem excuſſeris, atrâ
Illico nigreſcunt vligine turbida. Verùm
Sunt etiam præiudicia ex erroribus orta
Ætatis primæ, à teneris quæ ſuximus annis,
Fallaci ſpecie perſæpe imitantia verum;
Quæ tibi ni ſolers ratio ad purum excoquat, illa,
Ceu fuci ingreſſi mellis cellaria, primis
Principijs ſeſe admiſcent, atq; omnia turbant.
Hinc omnis labes, hinc ſemita torta ſciendi,
Cunctaq; ſubuerſa. Hæc igitur diſcernere primùm
Quò valeas; illud tibi fas prænoſcere, quantùm
Illa animi vis, quæ ſimulacra à ſenſibus hauſta
Pingit imaginibus, quantùm, inquam, diſcrepet à vi
Ingenitâ rationis. Id ex re noſſe iuuabit,
Vnde tibi pateat diſcrimen. Lineæ ab vno
Digreſſę puncto, deſignatæq; papyro
Siſtan-

Siſtantur puero. Scitare hunc poſtea quid ſit
Angulus ille, oculis quem perſpicit. Ocyùs ille
Aſſeret, inſpectis cunctis, non eſſe aliud quàm
Cruribus exceptum ſpatium. Sed dicta refellis
Continuò; nam quantumuis illa area nigris
Tranſuerſi calami reſecetur ductibus, idem
Angulus vſq; manet. Sin autem in cruribus ipſum
Conſtituat; quauis hinc atq; hinc parte reſectâ,
Illæſum perſiſtere adhuc oſtendis. At ille
Verticis ad punctum ſummum poſtremò recurret;
Nam nihil eſt aliud præter, quod cernere poſſit.
Verùm etiam hinc ipſum retrahis; nam ſi vtraq;
crura
Strinxeris, illud idem punctum manet; attamen
alter
Angulus exoritur. Iamq; hîc exhauſta tibi ſunt.
Omnia, quæ poſſit tibi pictrix illa facultas
Suggerere; atq; adeò cæca ac confuſa recedit.
Tum demum exurgit ratio; introgreſſaq; coram,
Ceu turbam ignaram, ſimulacra interrogat: audit
Quæ ſenſus demens ijsdem narrarit. At illa,
Omnibus expenſis, poſtremò iudicat, illic
Eſſe aliud quiddam ſecretum, quod neq; punctum
eſt,
Nec diſtenta ſuperficies, nec linea; quod non
Senſus iners, & hebes potuit diſcernere viſu.
Ergo modum quendam, quo lineæ vtrinq; viciſſim
Inclinatæ abeunt, edicit. Sed modus iſte
Quid ſit, nulla queat vox dicere: ſola videt mens
His animaduerſis: Mendax quamplurima ſenſus
Falſa licèt, veris certiſq; ſimillima pingit.
Sic puer haud facilè credat conſiſtere poſſe
Antipodas, quos in caput è terris ruituros
Mente videt, terræq; putat protendier oras

Ad cœlum, & cœlum pariter contingere montes
Verticibus ſummis, quos ſiquis ſcandere poſſit
Is felix ſeſe radiantibus inſerat aſtris.
Nec tantùm ingenia hæc fallunt puerilia:. Verùm
Te quoq; deludunt ſimiles præſtigiæ. Inertem
Namq; putas flammam conſiſtere; quæ tamen, inſtar
Labentis fluuij, curſu fugit acta perenni,
Et iugi effluuio fumum ſe vertit in atrum.
Sic te continuo obtutu res cernere credis,
Quæ tamen alternis, ex crebro nictu oculorum;
Celantur tenebris, perq; interualla nigreſcunt.
Fortè etiam, dum ſcintillas ictu elicis, ipſas
E ſilice egreſſas reris; quæ ſunt tamen æris
Stricturæ, & Chalybis ramenta ignita, repentè
Ex illo affrictu rutilâ candentia luce.
Centum alia id genus obſcurant tibi nubila verum.
Talibus ægra hominum ratio deluditur. Ergo his
Cura adhibenda prior, vitio ne peſſima fundi
Germina mens ferat, & ſterili ſylueſcat auenâ.
Fas ergo indicia in primis prænoſcere veri....
At nimio creſcens aduerſo flamine ventus
Ingruit in puppim, cui ſi dare carbaſa pergam,
Littoribus procul auulſus ferar æquor in altum,
Vnde ægrè poſſim velis remisq; redire.
Contrahere ergo iuuat tantiſper turgida vela,
Atq; iter incœptum differre. Ad bruta reuertor,
Queis, vt iam pridem monui, ſcintillula nulla
Mentis ineſt; quanquam videantur plurima certas
Dirigere ad metas, & quoſdam intendere fines;
Quos etiam in ſaxis, ſenſuq; carentibus herbis,
Inq; ipſis fluuijs, inq; aſtris, atq; metallis
Inuenies. Nec te moueat tuus ille catellus,
Qui tibi prandenti limis intentus ocellis

Aſſiſtit

Aſſiſtit lateri, ſeq; interdum arrigit, & te
Admonet vnguiculis vt ſis memor, atq; latratu
Impatiens crebro viſam ſibi poſtulat eſcam,
Atq; hos atq; illos conuiuas ſedulus ambit,
Implorans ieiunus opem.
Cui ſi propterea quicquam rationis ineſſe
Credideris, licèt exiguam; longè hæc tribuenda
Maior araneolis, quorum molimina nec tu
Veſtigare queas. Nam quâ demum arte, rogo te,
Stamina trahſmittunt interdum ex fronde geniſtæ
In ramum ſalicis, quamuis interfluat vnda
Hinc atq; hinc dirimens arbuſta? An fortè natatu
Ponè trahunt filum, idq; iterum in ſublime
reportant?
Id certè haud poſſunt. An filo penduli eodem
Expectant ventos, vi quorum in ſumma ferantur?
At cœlo tranquillo etiam, & placido aëre pontes
Hos ſibi conficiunt. Quin clauſis ſtamina in aulis
Iungere diſtantes muros quandoq; videbis;
Idq; opus interdum concluſis nocte feneſtris
Perficiunt, quoties textum exturbare diurnum
Auſa manus fuerit. Viden' vt tute inſcius hæres,
Atq; ægrè ingenio nodum extricare laboras?
Ergo apice è ſummo virgæ tibi aranea obeſo
Ventre affixa ſuo de ſtamine pendeat; illam
Ex improuiſò aërium ſibi ſternere callem
Interdum in muros, inq; obuia quæq; videbis
Proxima. Quippe duplex aut triplex ſtamen ab
aluo
(Idq; oculis ſpectare licet) ſtudioſa remittit,
Quorum vni tantùm librata ac penſilis hæret;
Cætera conſultò, tenuiſſima quippe, per auram
Ire ſinit, donec deprenſum ſenſerit ex his
Vnum aliquod temere, inq; obicem incurriſſe
volatu.

Illico tum properans gracilis funambula tento
Inſiſtit filo, inde aliud ſimili arte retentat.
Ipſa oſcillando, quantùm ſatis eſt, mouet auram,
Vnde opus integret. Num verò iccirco ſagacis
Vindicet vſum animi ac mentis viliſſima textrix?
Ergo hæc impulſu quodam inſtinctuq; geruntur
Naturæ; hunc verò faber indidit ille ſupernus,
Conſilio qui cuncta ſuo, nutuq; gubernat.
Nec fas vlteriùs cauſam explorare latentem.
At quò rem propiùs videas & clariùs: Ipſi
Nos quoq;, vi nullâ rationis, plurima ſæpe
Molimur cæco ductu, quæ vim tamen omnem
Ingenij exſuperant. Nam ſi te rite loquentem
Explorare velis; mirabere difficilem rem
Quàm facilè expedias. Nam litera quælibet, oris,
Gutturis, & linguæ, diuerſos exigit vſus,
Et certos flexus; quæ ſingula ſi ratione
Præceptisq; velis ſtudioſè addiſcere, nunquam
Id poteris: Tamen iſta infans apprendere ductu
Naturæ, & quodam potuiſti imitamine cæco.
Sic quoque, dum graderis, dum ſaltas, ſingula membra
Ad ſtaticæ præcepta moues, quæ ſi tamen omnia
Ad leges ſtudeas componere, tunc nihil ex his
Efficies. Nempe ingenio quæcunq; geruntur
Naturæ, ſi mens acceſſerit, omnia turbat.
Idq; palam ſpectare potes, per ſingula eundo.
Fac etenim te velle tibi ratione ſoporem
Conciliare, leueſq; illas attendere ſomni
Conciliatrices nebulas, & ſiſtere ſenſim
Irrequieti animi motus, ipſamq; ligare
Iniectâ furtim Letheâ compede mentem;
Id nunquam efficies; Naturæ ſcilicet obſtat
Mens exploratrix. Hinc bruta animantia quæuis

In fluuios conieĉta natant: Te, quo minùs iſtud
Perficias, prohibet mens ipſa intenta periclo.
Illa herbis, duce naturâ, depellere morbos
Ægra ſciunt: Tibi quid certò proſit, noceatque
Ipſa vetat ſolers ratio cognoſcere. Quod ſi
Vis morbi impediat mentem, tum deniq; vina,
Aut aliud fortaſſe petas, quod conſulat ægro.
Hinc multum ſibi vitæ adimit; quem ſedula cura
Sollicitat nimiùm vitæ. Quippe ille latentes
Naturæ voces minimè audit. Sæpe petenti
Abnegat vtilia, & nolenti noxia ſæpe
Ingerit, aſſiduè curis diſtentus iniquis.
At contra ignauus balatro, ſine re, ſine tecto;
Per delubra vagus, ſomnos in limine portæ
Sub dio ſecurus agens, æſtumq; geluq;
Nil penitus curans, qui Cancro & Aquario eundem
Obijcit hirſutum pannum, cui faſcia vulnus
Immemori neglecta ligat; quem ſi lauet imber,
Mox lampas Phœbi abſtergit; quanquam allia tuſſi
Apponat, roſasq; nuces à mure relictas,
Ille diu incolumis, felix, validusq; ſeneſcit.
Naturæ ſua quippe ſinit iura integra, ſeq;
Illius ad nutus regit, obſequiturq; monenti.
Ergo (vt regrediar) viuentia bruta, latente
Naturæ ingenio, & cæco moderamine aguntur.
Hunc verò inſtinctum ac ductum inter cætera, nobis
Abſtruſa, vt monui, nunquam agnoſcenda, repone.
At contra eſt quiddam, quod velles, ſi bene noui,
Obijcere. Eſt, inquis, mihi contra inſigne moloſſi
Et mirum facinus, rationis conſilijq;
Indicijs plenum. Is quondam (certiſſima fama)

Auſus adire domum campeſtrem, prandia furtim
Incuſtodita inuaſit. Quem ruſtica coniux
Deprenſum, inſanis primùm clamoribus, inde
Paſcuitò oblato, fœda inter iurgia, palo
Vi multâ eiecit foribus: ſimul excita agreſtum
Vndiq; turba canum fugientem è rure ſecuta,
Vulneribus ſæuis ſtillantem ſanguine multo
In patrios egere lares longo agmine. At ille,
Secum ignominiam reputans, illataq; probra,
Nec celare potens inhonoras tergore plagas,
Dedecus vlciſci ſtatuit. Quantocyùs ergo
Ex circumfuſis domibus pagiſq; coactam
Omnigenûm latrantum aciem, ſolemnibus illam
Excepiſſe ferunt epulis; nempe oſſibus horto
Olim defoſſis; quo munere alacriùs irent
Ad pugnam. Hinc, fidâ circùm ſtipante cateruâ,
Rurſum inimica adijt conducto milite tecta.
Horriſoniſq; priùs latratibus excubitorem
Inuaſere canem: Cerealia protinus inde
Liba aggeſta ſuper mactris, pulmentaq; in ipſis
Diripuere focis; quo teſtea ahenaq; vaſa,
Et vina, & patinæ, & lances, omniſq; ſupellex
Sparſa ſolo. Mox in pullos, omnemq; cohortem,
Inq; ſuum crates, & gallinacea ſcepta
Sæuitum. Ipſi etiam morſuq; miniſq; fugati
Hàc illàc vernæ agricolæ, direptaq; cuncta.
Inde triumphantum victorum more per agros
Curſibus inſanis, lætiſq; latratibus, ollis
Deterſis ſaturi, in patrios rediere penates.

Hæc tibi nimirum conſultò geſta videntur,
Nec ſine mente aliquâ peragi potuiſſe. Sed illud
Hiſtoriæ mihi iam notæ mirabile longè
Addere debueras; quod princeps nempe moloſſus,
Poſt hortenſe epulum, turbam vndiq; circumfuſam

More

More ducum affatus ſolemniter, expoſitâ re,
Incenſiſq; animis, latratu atq; ore diſerto
Ad prædam excierit. Sed plura ſimillima Phœdrus
Aſſerit, & Phrygius vates teſtata reliquit.
Nempe animaduertes, quoties mirabile quiddam
Contigit, id mendaciolis plerunq; minutis
Arte intertextis ſuppleri, nequid in ipsâ
Sit facti ſerie mancum aut informe relictum.
At ſenſim aſſiduo pulſu lenteſcere plectri
Sentio iam feſſos neruos. Age, diſcute ſomnum,
Vranie, atque iſtum mihi ſiſte, volucribus alis
Deprenſum, & laſſo vigilatis noctibus adde.
Tuq; nouis lauris redimita, & flore recenti
Sume iterum vires, ſopitumque erige carmen.
Forſitan huc oculos feret vſq;, atq; iſta remota
Carmina, quantumuis feſſus, dignabitur æquo
ANNIBAL aſpectu. Quem ſi prouexerit ardor
Hos vſq; in fines; vos, illi oſtendite, Muſæ,
Senſim aſſurgentem procul alto ex æquore metam;
Quam tamen haud iſtâ nunc ſperem attingere cymbâ,
Iam laceris velis rimas paſſim vndiq; agente.
Luctari tamen vſq; iuuat: Tuq;, inclyte, noſtro
Annue, Mæcenas, animoſq; adiunge labori.
Ergo illud ſupereſt, humanæ agnoſcere tandem
Naturam & dotes animæ. Mox illius auctor
Atq; opifex Deus, ille Deus, cui ſupplice plectro
Hanc humilem ſiſto ſacra inter carmina Muſam,
Ille, inquam, vt ſpero, ſupremam deniq; votis
Adijciet metam. Priùs attamen interrupta
De præiudicijs paulò ante incœpta ſequamur.
Nimirum quibus indicijs diſcernere verum
Mens queat, & cautè inſidias eludere falſi.

Scilicet huic ſabulo mihi nuper deuia puppis
Hæſerat, atq; hinc in primis emergere fas eſt:
Inde alacres dabimus turgentia carbaſa ventis.
Et priùs, in rebus naturæ ne tibi verum
Perſpicuum indicijs certis recludere paſſim
Illud idem ante oculos ſperes, quo ſe geométræ
Præ reliquis tutos iactant. Sunt cætera vtramuis
Pleraq; ductilia in partem, certamine vtrinq;
Diſceptanda pari; nec fas vni addere mentem;
Quin priùs ex æquo vacuam ſeruaueris aurem
Alteri, vt inde queas falſi diſcernere fraudes.
Quod potes in multis prudens agnoſcere rebus.
Fac etenim me velle tibi inter corpora lucem
Siſtere, inauditâ parte alterâ; id illico verum
Præproperè ſtatues. Etenim, ſi corporis illam
Expertem ponam, cur non admiſsa penétrat,
Ceu calor & frigus, muros, cùm talibus vſquam
Nil vetet ingreſſum? Cur, follis miſſilis inſtar,
Pulſa repercutitur? Cur angulus æquus vtrinq;
Non aliter quàm corporibus, quæ alliſa reſultant?
Scilicet illa ſuis globulis ingreſſa meatus
Cryſtalli, deducta cauis fugit acta cylindris,
Inde oculos ſubit, atq; inibi ſimulacra colorat.
Nam, velut è raro translucent omnia velo,
Cur non ſorte pari vitro tranſmiſſa feratur
Ipſa etiam rectis excepta canalibus, vnde
Cuncta tibi pateant crebro traiecta meatu?
Aſpicis vt tenuis direpta è corpore quouis
Bractea, continuò translucet peruia ſoli?
Aſpicis vt ſecto è cornu laternula prodat
Incluſam faculam, quam lamina ſpiſſior atro
Contegeret velo, nigraq; abſconderet vmbrâ?
Cur iſtud porrò? niſi quòd tunc lumen, ademptâ
Craſſitie, rectâ tranſmiſſum è corpore fertur.

Contra

Contra autem in ſolido ſinuoſa foramina ligno,
Quòd nequeant ſpecies directo emittere calle,
Iccirco obiectu denſo tibi corpora inumbrant.
En tibi perſpicui ratio, & diſcrimen opaci,
Quod ſecus haud vllo ſtudio dignoſcere ſperes.
En ſuper his, puro nitidoq; ſimillima Soli,
Vt veterem noctem, Sophiæ lux alma recentis
Diſcutit, vt claro tibi cuncta in lumine ſiſtit.
Quidni igitur lucem reliqua inter corpora adoptes?
Ecquid obeſt tandem? quis terror panicus obſtat?
An quòd parte vitrum de quauis perſpicuum ſit,
Quocunq; obuertas? At parte foramina ab omni
Opportuna aperit, ceu conſitus in quincuncem
Arboribus lucus, qui ſemper tramite recto
Excipit obtutum, quocunq; obuerteris ora.
An quòd tam ſubitò ex oculis, moriente lucernâ,
Lucida diffugiant corpuſcula, nec videas quò
Subducant ſeſe? At quonam fax ipſa lucernæ,
Quonam, inquam, moriens extemplo deuolat? Illuc
Scilicet ipſa fugit quoq; lux, tenuiſſima nempe
Flammula. Num demum rapidiſſimus ille volatus
Te mouet, è ſummo quo concita fertur Olympo?
At quoniam, vt ſpatij, ſic motûs maxima nulla eſt,
Quæ metam ſtatuat menſura; hinc impete quouis
Et curſu rapido velocior alter & alter
Indefinitis protenditur incrementis.
His ita propoſitis, niſi mentem aduerteris vltra,
Te pronum adijcies, vltroq; fatebere victum.
At modò ſeruatam parti præbe integer aurem
Alteri, & hunc vnum mihi nodum ſoluito. Nam ſi
E vitro lentem, aut ſolidum confeceris orbem,

Non ideo occultos lædet noua forma canales,
Quin per iter rectum lux inſita tranſmeet, etſi
Oſtiola hinc atq; inde velis obliqua patére.
Scilicet interior directrix ſemita perſtat
Illæſa, vt priùs, & radios, velut ante, remittit.
Sic plano obliquè Cryſtallus vtrinq; reſecta,
Sic vitreæ pariter radios vtcunq; feneſtras
Obliquè excipiant; non attamen hinc tibi formas
Rerum obiectarum vitiant, ſimulacraq; lædunt.
Nunc age: Cur faculam ſi à lente remoueris illam
Poſt vitrum augeri, & ſenſim diſtendere flammam
Vndique creſcentem, mox euaneſcere cernis,
Inde redire ſitu inuerſam? Quam tu mihi cauſam
Iam proferre queas? Radij num fortè refracti
Naturam obijcias? At cur refringitur ille,
Cùm patulos habeat, nullo prohibente, canales
Vndique diſpoſitos? cur vitrum deniq; planum
Non eadem præſtat, cùm ſemitæ vtrinq; latentes
Directos radios deducant tramite eodem?
Præterea eſt quædam ratio, quam lumen in illo
Egreſſu fractum ſeruat, quam circuli ad vnguem
Præſcribunt (*a*) chordæ; vnde ſuas pulcherrima ducit,
Deriuatque, velut de fonte, Dioptrica leges.
Vt mihi fortuitis potes iſta canalibus, oro,
Ad methodum certam componere ſingula? quanam
Arte queas diſponere cæca foramina? quæ ſors
Res adeò miras tanto regere ordine poſſit?
Poſtremò in foueam delaberis, exitus vnde
Haud vnquam dabitur. Nam cætera corpora quæque

E raro

(*a*) *Nam ſinus angulorum in refractione eandem conſtanter rationem ſeruant.*

Et raro in denſum migrantia refringuntur
A perpendiculo, ſeu recto deuia, vti res,
Et (*a*) ratio ipſa docet, ſtatices de fontibus hauſta.
Lux autem ad rectum contra refringitur. Ergo
Longè alia eſt lucis natura. Atque hic, velut anguis,
Cui ſpinam dorſi protriuit ferrea plauſtri
Orbita, non aliter, rupto ſyſtemate, tortos
Moliris greſſus; & quanquam plurima contra
Coneris (quis enim poſſit conſtringere per vim
In iugulo voces?) vis attamen omnis adempta eſt,
Seminecesque artus ægrè trahis, & noua ſemper,
Quo te cunque tegas obiectu, ad vulnera præbes.
Hinc igitur primùm fas eſt diſcernere verum:
Nimirum quoties fuerint ſibi cuncta viciſſim
Conſona. Falſum autem (quanquam tibi plurima pingat
In ſpeciem veri) potes hinc dignoſcere, quòd non
Intégro naturæ operi reſpondeat omni
Ex aditu; vnde aliquid ſi concinnaueris vnâ
Ex parte; ex aliâ rimas trahet atq; ruinam:
Sæpe etiam, vt pulchrum ſeſe ingerit, & placet vltro
Natiuâ ſpecie; vt citharæ concordia ſponte
Ad ſe animos rapit; haud aliter dignoſcitur ipſo
Interdum intuitu verum, aſſenſumque negare
Nemo queat prudens; quamuis haud cogere poſſis
Ingenium indomitum.
Illa etiam in primis index certiſſima rerum
Plura tibi oſtendet fida experientia, quanquam
Exiguos intra fines contenta, nec inde

Diuitias

(*a*) *Id deducitur ex motu incurſuq; corporum obliquo, quippe miſto ex perpendiculari & orizontali; Quod etiam luci competeret, ſi corpus foret.*

Diuitias ſperare queas: at fruſtula plura,
Et denariolos tibi coges vndique veri.
Nempe aliquod lucrum eſt non aſpernabile ſcire
Quidnam ex corporibus tunicato extorqueat ardens
Incluſis vitro, tormentiſque exprimat ignis.
Quid valeant herbæ, quæ vis animantibus, & quàm
Diuerſum ingenium; quæ fontibus, atq; metallis
Natura, atq; alia; obſcuris licèt abdita cauſa
In tenebris lateat, nec prima exordia cernas.
Hinc plura inferre, & ſeriem deducere certo
Deſcenſu poteris, quantumuis ſingula gyro
Clauſa breui, vt monui, & paruâ ditione coacta.
Quæ tamen vtiliùs noris, quàm ſi tibi *quanti*
Continui arcanum textum, aut myſteria *rari*
Ac *denſi* excrucient animos, cerebrique medullam
Exſugant penitus, velut æſtas ſicca paludem.
Nec tibi diſpliceant rerum ſyſtemata, quanquam
Lis aliqua exurgat contra; modò cætera conſtent,
Quæ ſunt præcipua. Hæc, veluti tentamina prima,
Præmiſſique canes hac illac nare ſagaci,
Explorant aditus, & cæca cubilia veri.
Sed caue ne fallax minium pigmentaque rebus
Rhetorice adſpergat. Mirum quantùm illa doloſo
Cuncta tibi inſidijs tacitis in lumine ponat.
At nullum examen ratio ſynceriùs optet,
Quàm cùm res primis deducta è fontibus exit.
Tu verò fontes illos intellige primos,
Quos hominum ſtatuit vox & ſententia concors.
Hinc ſecura quies, & contemplatio rerum,
Hinc firma in tuto tibi iacta erit anchora portu.
Et licèt inde aliquid mirabile, nec priùs vlli

Com-

Compertum in lucem veniat, cui, territa primo
Intuitu, aſſenſum trepidet dare mens; nihil inde
Inſidias falſi timeas. Quot enim geométra
Ipſe etiam, monſtris perſæpe ſimillima, longos
Poſt flexus, primis naſci videt ex elementis,
Quæ tamen aſſenſum cogunt! Illud quoq; veri
Ne ſperne indicium, cùm res à tempore longo
Canitiem quandam traxere: ea quippe vetuſtas
Ex conſenſu hominum, qui rarò fallitur, orta eſt.
Contra autem nouitas ſuſpecta ſit illico, donec
Aut illam in cauſas notas ratio egerit, vrgens
A tergo, aut ſenium ex longo contraxerit æuo.
Poſtremò &c.

Diuitias ſperare queas: at fruſtula plura,
Et denariolos tibi coges vndique veri.
Nempe aliquod lucrum eſt non aſpernabile ſcire
Quidnam ex corporibus tunicato extorqueat ardens
Incluſis vitro, tormentiſque exprimat ignis.
Quid valeant herbæ, quæ vis animantibus, & quàm
Diuerſum ingenium; quæ fontibus, atq; metallis
Natura, atq; alia; obſcuris licèt abdita cauſa
In tenebris lateat, nec prima exordia cernas.
Hinc plura inferre, & ſeriem deducere certo
Deſcenſu poteris, quantumuis ſingula gyro
Clauſa breui, vt monui, & paruâ ditione coacta.
Quæ tamen vtiliùs noris, quàm ſi tibi *quanti*
Continui arcanum textum, aut myſteria *rari*
Ac *denſi* excrucient animos, cerebrique medullam
Exſugant penitus, velut æſtas ſicca paludem.
Nec tibi diſpliceant rerum ſyſtemata, quanquam
Lis aliqua exurgat contra; modò cætera conſtent,
Quæ ſunt præcipua. Hæc, veluti tentamina prima,
Præmiſſique canes hac illac nare ſagaci,
Explorant aditus, & cæca cubilia veri.
Sed caue ne fallax minium pigmentaque rebus
Rhetorice adſpergat. Mirum quantùm illa doloſo
Cuncta tibi inſidijs tacitis in lumine ponat.
At nullum examen ratio ſyncerius optet,
Quàm cùm res primis deducta è fontibus exit.
Tu verò fontes illos intellige primos,
Quos hominum ſtatuit vox & ſententia concors.
Hinc ſecura quies, & contemplatio rerum,
Hinc firma in tuto tibi iacta erit anchora portu.
Et licèt inde aliquid mirabile, nec priùs vlli
Com-

Compertum in lucem veniat, cui, territa primo
Intuitu, aſſenſum trepidet dare mens; nihil inde
Inſidias falſi timeas. Quot enim geométra
Ipſe etiam, monſtris perſæpe ſimillima, longos
Poſt flexus, primis naſci videt ex elementis,
Quæ tamen aſſenſum cogunt! Illud quoq; veri
Ne ſperne indicium, cùm res à tempore longo
Canitiem quandam traxere: ea quippe vetuſtas
Ex conſenſu hominum, qui rarò fallitur, orta eſt.
Contra autem nouitas ſuſpecta ſit illico, donec
Aut illam in cauſas notas ratio egerit, vrgens
A tergo, aut ſenium ex longo contraxerit æuo.
Poſtremò &c.

DISSERTATIO SEPTIMA.

ARGUMENTUM.

Ex libertate, honeſtate, & ratione hominibus inſitâ, humanam animam non eſſe aliquid corporeum demonſtratur, eiuſdemque immortalitas conſtituitur. Sophiſmata contraria refelluntur.

DIS-

DISSERTATIO OCTAVA.

ARGUMENTUM.

Deum naturæ conditorem Optimum Maximum exiſtere, SS. Patrum, & Philoſophorum argumentis euincitur: ijs tamen manifeſtiùs innoteſcit, qui Chriſtianis virtutibus apprimè dediti eundem ſibi intimum familiari conſuetudine & reciproco amore experiuntur.

FINIS.

144

IESVS PVER

POEMA

THOMÆ CEVÆ

è Soc. IESV.

MEDIOLANI,

Ex Officina Ghiſulphiana.

Digitized by Google

LECTORI.

IESUM, adhuc puerum, manifeſtaſse paulatim ſuam Diuinitatem Nazarenis ſuis conterraneis, auctor eſt D. Athanaſius *Orat. 4. contra Arianos*, Titus Boſtrorum Epiſcopus, Theodoretus, D. Vincentius, atq; alij: (*apud Sebaſt. Barrad. in Conc. Euang. lib.* 10. *c.* 15.) qui in ea ætate quandam veluti Diuini Solis auroram præceſſiſſe putant. Hanc agnitionem omnium pulcherrimam epico poemate dignam cenſui. Atq; ita rem diſpoſui, vt in hunc finem cœleſtis Infans ex Ægypto in patriam reduceretur; cui deinde viribus omnibus Dæmon moliri primò excidium aperto bello, mox nebulas offundere ſuſpectæ Diuinitati contenderet; euentu tamen prorſus contra-

rio. Hinc enim Nazareni multa paſſi, præſtigijs detectis, Diuinum Puerum, cuius amore, admiratione, atq; oraculis ſuſpenſi iam diu tenebantur, Deũ tandem agnoſcunt. Habes, Lector beneuole, rudem atq; informem deſignationem poematis; quod à perſonis partim humilibus, partim illuſtribus, à quibus res geritur, Comico-heroici naturam ſumit; vnde & ſtylus vtriq; formæ in vnum miſtæ attemperari debuit. Nec aliud mihi propoſui, quàm vt amorem erga cœleſtem Infantem, eiuſque ſanctiſſimam Genitricem carmine inſinuarem; deformitatem, odia, atq; artes Dæmonum aperirem; & Chriſtianas virtutes allegorijs varijs adumbrarem: exemplum ſecutus Iacobi Sannazarij, Ghelſucij, atq; aliorum magni nominis vatum; præſertim verò Hieronymi Vidæ, qui iuſſu duorum Pontificum Leonis X. & Clementis VII. res à Chriſto domino geſtas inuentis poeticis epicè exornauit.

CÆ-

CÆSAR FRESIA
è Societate Iesv,
PRÆPOSITVS PROVINCIALIS
Prouinciæ Mediolanenſis.

CVM Librum, cui titulus eſt, IESVS PVER, à Patre Thoma Ceua noſtræ Societatis compoſitum, aliquot eiuſdem Societatis Theologi, quibus commiſſum fuit, recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint; facultate nobis à Patre noſtro Generali Thyrſo Gonzalez communicata, concedimus, vt typis mandetur, ſi ita iis ad quos pertinet videbitur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & Sigillo Societatis noſtræ munitas, dedimus. Genuæ 14. Maij 1690.

CÆSAR FRESIA.

REIM-

REIMPRIMATVR.

Frater Ioſeph Maria Reina Ord. Præd. Sac. Theologiæ Magiſter, ac Commiſſarius Sancti Officij Mediolani.

Bartholomæus Craſſus Canonicus Ordinarius pro Eminentiſſimo Card. Archiep.

Angelus Maria Maddius pro Excellentiſs. Senatu.

Digitized by Google

Digitized by Google

..2 RK
123= 1.

LIBER PRIMVS.

ARGUMENTUM.

Ionas camelarius ex Ægypto veniens, Nazareth patrium oppidum ſubit. Munuſcula Mariæ ſibi commiſſa, Debboræ, ac Suſannæ defert. Multa de Puero IESV, & Matre narrat. Poſt prandium nuptiale ruſticum ludi puellares celebrantur. Oritur diſſidium inter Damarim & Iuditham, & miro exitu componitur.

CÆleſtem Puerum canimus, quem Parthenis alma
E Pharijs retulit terris, mox, impia contra
Tentamenta Erebi, primi genitoris in hortos
Suſtulit aërio in curru, rurſumque reuexit
In patrios colles; donec, vi turbinis atri
Amiſſum Solymis, improuisòque receptum
Nazarei agnouere Deum, Tu, candida Mater,
Viſa mihi in ſomnis, inter confinia noctis
Auroræq;, comam niueis conſperſa hyacinthis;
Tuque, Infans, pariter pulchræ Genitricis in vlnis
Viſus adeſſe, rubro ſublucens candidus oſtro;
Vos adeò gemini eſte duces, curſumq; docete
Per loca nunc primùm Latijs peragrata Camœnis.
O decus Auſtriacæ Gentis, cui ſubditus Iſter
Thracibus ereptas centum prælabitur arces

Pannoniâ in magnâ, teneris Mauortius annis.
Iam nunc ære puer gaudens, & puluere campi,
AVSTRIADE IOSEPH, ſi qua eſt via libera muſis,
Si quid ab hoſte vacat, ſacri inter tympana Martis,
Et raucos lituos, noſtri quoq; murmura plectri
Excipe, & inuicti Genitoris plauſibus adde.
Hic quoq; bellum ingens, horrendaq; claſſica, vtrinq;
Inſtructas acies campis, totumque videbis
Coniurare Erebũ, atq; omnem deſcendere Olympũ.
Quin & ſacrilegus coniuncto fœdere prædo,
Fraudibus, inſidijſq; potens, ſeducere fruſtra
Contendet populos, auſus ſeſe addere Diti,
Mentitamq; Deam, falſumq; imponere numen.
  Vnde egreſſa adeò ſeries intexta ſupernis
Delicijs diuûm, belliſq; alterna, beato
Euentu clauſa, incipiam. Iam tempore longo
Orba ſuo infelix ſole, obſcuriſq; relicta
In tenebris, luctu ſqualens mœrebat Idume.
Nec tantum rapto tenera olim ſponſa marito
Indoluit; nec tot lacrymas, tot tædia, tales
Pertulit ægra parens noctes, cui funere acerbo
Dilectum ante alios rapuit mors inuida natum;
Nec dolor eſt vllus, nec tantus fletus amantum,
Quos procul auulſos terra, aut mare ſeparat ingens:
Quantus erat, Diuâ, Pueroq; abſentibus, inter
Nazaridas mœror: profugâ cum Virgine quippe
Viſus abire omnis riſus, decor, atq; iuuenta,
Nec miſeris reditura vnquam tam dia voluptas.
Fons erat in medio pagi, quò ſæpe ſolebat,
Lotrices inter reliquas, pulcherrima matrum
Panniculos Pueri vitreo torquere fluento,
Mox herbâ in viridi puras diſtendere ad auras.
Huc varijs diues plumis peregrina volucris,
Purpureâ ceruice, & verſicoloribus alis,

Venerat è Nilo, paruoq; aſſueuerat amni;
Frondoſæq; ſibi tectum delegerat inter
Aërios ramos, & opacæ vmbracula fagi.
Illa igitur, quoties herboſo in margine matres
Conſtiterant, propiùs volitare, & dicere quiddam
Velle videbatur. Quin, flauo vbi vertice longos
Siccabant crines per eburnea colla fluentes,
Ad ſolem, viridi in cliuo de more puellæ,
Illa ſuper ſecura humeros, ſupraq; volabat
Diſtentos funes, quaſi dicere nuncius ales
Virginibus vellet: Vidi quam fletis ademptam,
Viuit adhuc, vobiſq; fero fauſta omina cantu;
Carmina ſed volucris non intellecta canebat.
Has inter curas iam tertius ibat aprili
Florifer annus, &, exactâ poſt frigora brumâ,
Vitiferi colles, atq; herbida prata iuuentam
Induerant, floreſq; nouos, noua germina valles:
Cùm demum, vt viſum ſuperis, è rure Canopi
Nazareus Ionas, Solymam qui fortè camelos
Duxerat, atq; Arabum merces, vt vere quotannis
Sueuerat, in patrium diuertit mulio pagum
Nuncius incolumis Pueri, ſanctæq; Parentis,
Viſus ab æthereis deſcendere ſedibus, ipſam
Viſus & auroram, miſeriſq; reducere ſolem.
Nam læta ante alias menſis Neomenia primi
Fortè recurrebat, viridiq; in gramine pagi
Turba ſoluta operum, calamis, coniſque ſalignis,
Et curſu, ludiſq; alijs intenta vacabat.
Cùm ſtrepitus inter puerorum, & gaudia ruris
Ecce aderat multo reſperſus puluere vector,
Veſpere iam ſero; cui conterranea pubes
Protinus occurrit clangoribus vndiq; lætis,
Obſeſſumq; tenet: Quæ fors, quæ proſpera cæli
Vis tulerit, quò, atq; vnde rogant: centum, heu,

Abſentem patriâ, oblitumue queruntur. At ille
Nunc hos, nunc illos veteres complexus amicos,
Adſum, inquit, Memphi digreſſus, longa viarum
Poſt ſpatia, & ſoles terdenos; vosq; ſalutant
Et Maria, & Ioſeph, & pulcher Jeſulus; omnes
Quos liqui incolumes, & quorum læta reporto
Nuncia. Ad hæc feſtus ſublatus ad æthera clamor,
Arrectiq; animi, vulgatusque illico rumor:
O age, dic, hoſpes, ſeriemq; ab origine pande;
Quid Phariâ regione ſtruit pater? ecqua relictæ
Cura domus? quantùm miſeré expectantibus vsq
Reſtat adhuc? Feſſo nunc parcite; fuſiùs, inquit,
Cras, vbi per noctem ſopor inſtaurauerit artus,
Cuncta renarrabo. Sed non turba anxia matrum
Ferre moram, ſimilesq; rubis, ederæq; tenaci,
Veſtibus apprenſum, votis, precibusq; fatigant
Circunfuſæ omnes: ſiquidem retinere furentes
Lætitiâ, & differre auidis libamina prima
Quis poterat? Tonitru interea ter cærula nubes
Inſonuit læto; mox optatiſſimus imber,
Quem dudum campi ſitiebant, murmure leni
Labitur, inſequiturq; ater rupto æthere nimbus.
Ocyùs hàc illàc profugi, cogente procellâ,
Quà via, quà propior domus, & quà denſior arbos,
Corbibus in caput iniectis, tectiq; galeris,
Quos cuiq; ingenium tulerat, ſuccedere tectis
Agricolæ, & clauſis nimbos arcere feneſtris.
Atq; ita congreſſum pluuia, & nox atra diremit.
Aſt vbi deterſo penitus nitidiſſima eoo,
Mane aurora algens humili de colle refulſit,
Conuenere ſenem Suſanna & Debbora primæ,
Queis Maria ante alias primis aſſueuerat annis,
Bimula adhuc, vtriq; olim, diſcrimine paruo
Accolæ, iunctis laribus contermina tecto.

Hanc

Huic illa intextum velamen miſerat, illi
Niliacam zonam; & gnatis quoq; Diua gemellis,
Vtriusq; memor, cerâ de candidâ eburnum
Addiderat dono pupum cum crinibus aureis,
Vellere compoſitum niueo; & de vellere eodem
Candidiorem ebore & cycnis adiunxerat agnum.
Has ſenior merces vbi protulit, inter odora
Cinnama quas ſecum conuexerat, Hoc tibi velum,
Suſanna; hanc, inquit, Phariam tibi, Debbora, pallam;
Atque hæc Benoni, hæc Vaſthi munuſcula ferre
Commiſit Maria, inq; ſui vos pignus amoris
Iſta tenere rogat: veniam ſimul vſq; precatur
Si non plura, exul nempe & paupercula, donat.
Obſtupuere ambæ percuſſæ, & multa volentes
Dicere, non illas lacrymæ, gemitusq; ſinebant.
Mirantur, verſantq; manu tenuiſſima lina,
Vixq; audent digitis contingere cerea ſummis
Munera, nec ceſſant alternis reddere grates.
Iamq; aliæ interea matres, nuptæq;, nurusq;,
Longæuiq; ſenes aderant, confertaq; pubes
Plurima; perq; manus ibat mirabile textum,
Rimanturq; opus, atq; aditu ſpeculantur ab omni,
Et variâ in luce obſeruant, & cuncta tuendo
Expleri nequeunt oculi: Atq; an pinxerit ipſa
Mater acu illa Arabum folia, atq; vbi fila reperta
Tam varia, & viuus color ille an flos amaranthi,
An cerasi, an citri; ſuper omnia cereus ille
Quem roſeis labris, quem reddat pupulus ore,
Lis erat, & ſtrepitu vario ſententia diſcors,
Vectoremq; adeunt, importunæq; laceſſunt,
Paſſeribus ſimiles, ingenti murmure cùm ſe
Vepribus atq; ebulis æſtiuo veſpere condunt.
Hæc inter Ionas narrabat mira ſeorſum

Longæuæ Thamari, atq; alijs: Vtq; ordo ferebat
Et rerum ſeries, ad caſum forte volucris
Venerat, abſtruſam trunco quam rite colebant
Siluicolæ Ægypti; pueriq; aduentus eandem
Egerat ad ſtygias vmbras. Audite, puellæ,
Vos quoq;, ait Zelphe; & muliebrem voce ſuſurrũ
Increpuit Ieſſe ruris pater. Incipe quæſo,
Inquit Abra, hiſtoriam rurſum miræ arboris, vnde
Penniger ille ater depulſus; penniger, inquam,
Ille latens ramis vetus incola. Sic ait, atq;
Sedibus in iunceis matres, arciſq; ſalignis
Conſedere alij, fecitq; ſilentia rurſum
Berſabæa manu: tum ſic bonus inſtitor. Arbor,
Dicebam, eſt ingens prope Memphim, ipſiq; coæua,
Vt perhibent, Orbi, inq; auras altiſſima viſu
Tollitur: immanem truncum vix brachia circùm
Ducta queant nouies paſſis complectier vlnis.
Huic horrens inerat bubo, agreſtemq; putabat
Gens ignara Deum: dubijs hinc omina rebus
Poſcere, perfuſaſq; mero cum lacte ſolebant
Porgere primitias frugum, ſolemnia dona.
Forte dies aderat, quâ ſimplex turba quotànnis,
Ad liquidum fontem, fatalis cui ſuper arbor
Imminet, exercet ludos; epuliſq; peractis,
Frondoſi nemoris velatus tempora circùm
Deciduis folijs, reſponſa expectat aruſpex.
At non è ramis, vt pridem, audirier ales
Incola, nec precibus, nec donis flectier vllis.
Adduxere nigrum mactandum rite iuuencum,
Inſtaurantq; epulas. Tum verò emiſſus ab orno
Feralis gemitus, voxq; exaudita per auras:
Me puer Hebraus, cui tellus, aſtraq; ſubſunt
Imperio, huc veniens migrare in Tartara cogit.
Diriguere metu, & circùm tremere omnia viſa,
Mox

Mox nido prodire niger vapor, inde repentè
Tartareus volucer coram ſe ſuſtulit alis
Horrendus viſu. Ter pennis circuit atris
Antiquam ſedem; ter ſummis ſidere ramis
Conatus, racuo ter cum ſtridore relapſus:
Inde fugit, ſequiturq; fugam fœdiſſimus imber
Grandine commixtus; tum glebæ, & grandia ſaxa
Conie&ta in pateras, reuolutaq; pocula menſis:
Illico diffugiunt, metus & pauor omnia turbant,
Solemnesq; dapes, infectaq; ſacra relinquunt.
Subſtitit hic ſenior paulùm, interſataq; Dina eſt.
Quis puer ille autem, ſtygius quem dixerat ales?
Nunc ſequar (hoſpes ait) ſiccis permittite labris,
(Nam crudis cæpis vox aſpera faucibus hæſit)
Tantiſper liquido verba irrorare lyæo.
Sic ait, appoſitoq; mero, vt gens priſca ſolebat,
Impleuit pateram, manibusq; vtrinq; prehenſam
(Quod felix, ſocij, fauſtumq; ſit omnibus) hauſit,
Biſque interrupit ſynceris laudibus hauſtum,
Inuerſaq; manu barbam, atq; ora hiſpida terſit.
Adiecere animos rurſum: ſic ille ſecutus.
Ecce autem, poſtquam bis tertia fulſerat Eos,
Ecce, inquam, Ieſſea Parens, complexa puellum
Intortum pannis, deſerta per auia paruum
Ferre videbatur tenera inter brachia ſolem.
Biſgemini anteibant iuuenes, atq; alter eunti
Signat iter, prenſasq; manu regit alter habenas.
Æſtus erat, medioq; dies altiſſima Olympo,
Et laſſus ſenior coniux deponere in herbâ
Iamdudum optabat feſſum latus, ægraq; membra;
Atq: oculis circùm luſtrabat, ſicubi riuus,
Aut vſquam tecta vlla forent: Cùm ruſtica fortè
Filia meſſoris veniens de rure puella
Monſtrauit fontem, & prope fontem vmbracula denſæ

Arboris (hæc erat illa arbor, quam diximus) atq;
  hic
Sarcinulas poſuit pater, atq; è margine, pronâ
Ceruice, hauſit aquâ gelidam; &, quâ purior algens
Manabat ſimilis vitro liquidiſſimus amnis,
Fagineam impleuit ſcutulam, vxoriq; ſedenti,
Optantiq; tulit; conſuetos ſcilicet hauſtus,
Queis, exoſa merum, teneris aſſueuit ab annis.
Interea feſſi dum puri ad murmura fontis
Reſpirant paulùm, dum lenia frigora captant;
Ex improuiſo (dictu mirabile!) mota
Inclinari arbos à tergo, & flectere ſumma
Culmina, detortis inuertens brachia truncis:
Quod ſimul ac ſenſit, (nam pronis frondibus ipſos
Iam Mariæ attigerat crines, & mollia colla)
Extimuit ſubitò, preſſitq; ad pectora natum;
Conuerſiſq; repentè oculis ſuſpexit opaci
Obſequium nemoris, ſtupuitq; tenerrima mater.
Nec ſatis. E curuis ramis nata illico poma
Sponte cadunt, pars ante pedes, pars gramen
  in altum,
Pars in ſtagna; ſinuſq; inter, gremiumq; reſultant.
Ipſa manu dein caſta parens acclinis ad vndam
Faſciolas pueri lauit, traxitq; ſalubrem
Contactu ex illo vim poſtea vitreus amnis,
Vnde ſacro tacti igne bibunt, ægriq; cameli,
Et læſi iaculis abſtergunt vulnera cerui.
Hæc mihi narrabat Ioſeph: namq; ipſa roganti,
Quo fugiat, pudibunda parens tegit omnia riſu.
*O quæ mira, hoſpes, memoras! Quò deinde puella,
Quò greſſus peregrina tulit? namq; abdita prorſus
Nunquam aliàs audita refers.*Procul, inquit Ionas,
Excepit Memphis, Memphis cui mœnia centum
Circùm

*Aſteriſcus * denotat interlocutores varios.*

Circùm errant ſtadijs, æratis vndiq; portis
Peruia, penſilibusq; hortis, & turribus, inter
Niliacas vrbes, terris celeberrima eois.
Hic verò exulibus noſtris conducta prope amnem
Ædicula extra vrbem lætiſſima; namq; feneſtris
E geminis Nilum, ſupraque infraque meantes
Proſpiciunt toto amne rates, ſolatia feſſæ
Interdum nuptæ, quæ ſola, & cognita paucis
Interiora domus ſeruat.* Sed quis labor olli?
Quo vitam infelix tolerat tot ſaucia curis?
*Nempe manu induſtri, digitisq; intenta laborat,
Pingit acu, pictasq; ſtupet vicinia telas.
Hæc chlamys, hoc peplũ Mariæ labor eſt; puer iſte
Cereus eiuſdem pariter labor. * Hinc, Berenice,
Teq; tuosq; potes Phrygios abſcondere flores;
Aſpice quos flores pingit Ieſſeia. * Iam quid
De puero IESU narras? grandiuſculus ille
Creuerit, æquæuo venturus namq; december
Quartam hyemem Benoni addet: quid iam ille teneris
Incipit enodare labris? quæ gratia dictis?
*Quid ſenior coniux? ecquando in patria tecta
(Nam quid adhuc metuit?) gnatum, vxoremq; reducet?
Hic bonus illacrymans hoſpes plorantia terſit
Ora oculosq;, manusq; ad ſydera ſuſtulit ambas.
Delicium noſtrum puer ille eſt, ipſaq; mater
Tranſtulit è gremio ſæpe in mea brachia, ſed non
Oſcula ferre genis potui vnquam, nam ſacer obſtat
Continuò pauor, & pulchri reuerentia vultus.
Ille mihi curas vultu aſpectuq; ſerenat.
O belli crines! o labra corallina! Vellem
Audires, Suſanna, ſemel cum matre loquentem:
Audiui ipſe ſemel, nec poſſum audita referre.

*Certè aliquid pluſquam mortale eſt ille puellus;
Et dixi toties, Maria, hic puer, hic tuus infans
Non eſt quem cæcum vulgus putat eſſe: fatere,
Altior eſt illi quàm ſit mortalis origo,
Tuq; hæc mira ſiles, ſed & ipſa ſilentia noſco.
Tum pater: Audite hoc, Memphi quod nuper in horto
Contigit, & noſtris ſit meta hæc vltima dictis.
Venerat alma parens Phariæ molitricis in ædes,
Hortus vbi exiguus fuerat; ſed, frigore nondum
Exacto, nec dum rupto ſe prodere primùm
Folliculo, quos fagineis ſeruabat in vrnis,
Audebant flores, colocaſia pleraq; pictæ
Heſperides, naſturcia fera, roſæq; Damaſci.
Illa tamen puero optanti decerpſerat vnum,
Cui calycis ſciſſi è rimâ iam coccina veſtis
Exibat diſtincta croco. Pulcherrimus infans
Vt tenuit, riſit paulùm: (mirabile dictu!)
Floſculus ipſe etiam riſit, nexusq; virentes
Rupit, & explicuit ſeſe: exemplumq; ſecuta
Cætera turba etiam pictis caput extulit vrnis.
At cæpæ quotquot fuerant, atq; allia in horto
Continuò traxere luem, morboq; peremptis
Succeſſere alij frutices; floſq; aureus inter
Purpureos reliquos, cui crux, & triſtia quædam
Symbola, malleoli in folijs, & virgea flagra.
Talia narrabat, cunctis mirantibus, hoſpes:
Nec finis fandi, tot millia poſcere rerum
Inſtat adhuc denſo circunfuſa agmine turba,
Effugiumq; vetant. * Satis eſt: permittite iã nunc
Vt pagum, & patrios agros, atq; arua reuiſam,
Namq; diu hunc hauſtum puri ætheris exul anhelo.
Sic ait, atq; iterum in pateram reliqua amphora verſa eſt,

Libauitq;

Libauitq; merum pleno tibi, Partheni, vitro.
Inde domo egreſſus circùm ibat florida rura,
Vitiferos laudans colles, auramq; ſalubrem.
Donec longæui ventum eſt Simeonis in hortum,
Nupta vbi Bethlæo iuueni pulcherrima Eliſa
Traxerat agreſtem feſta ad conuiuia turbam.
Menſa ibi ſtructa ingens ſub opaco tegmine lauri,
Impoſitæq; ſuper lances, metretaq; nigro
Stannea plena mero, & ſimilis Phario obeliſco
Caſeus in medio, atq; anates, fumantiaq; exta,
Conuiuæq; boni circùm, pueriq;, operæque,
Meſſoresque, viri, nuptæ, innuptæq; puellæ.
In medio Ionas pater in cathedrâ abiegnâ,
Thoraca exutus, geminos interq; moloſſos
Iura dabat. Non hic famuli, nec inutile pondus
Argenti, & vanæ lites cui debita primùm
Ante dapes manibus lympha, & ſubſellia circùm
Bellum importunum qui primâ in ſede locandus,
Quiue locus princeps; nec dignior expectandus
Qui bibat ante alios, totque inter fercula tricæ,
Iuſcula, pulticulæ, paſtilli, & glutina rerum:
Sed quales natura dapes creat, atq; labore
Empta fames, vultusq; boni, & ſuper omnia curis
Libera mens, quâ pauperiem clementia Diuûm
Temperat, humanis ex æquo prouida rebus.
Talibus ergo diem ſolemnem turba trahebat.
Intereà Virgo, & Phariâ regione Puellus,
Abſentes quamuis, diſiunctiq; æthere longè,
Gaudia ſyncera, atque animos, atque otia pagi
Læta vident: vtq; alma ſuum tunc fortè gerebat
Infantem gremio complexa, vtq; ambo viciſſim
Muneribus ſuper, & dictis, atq; hoſpite Ionâ
Plurima contulerant, ſic Parthenis ore locuta:
Alme Puer (pauliſumq; metu, non auſa fateri,

Continuit ſe: mox iterum, formidine pulsâ,
Inſtitit) alme Puer, tua ſi mihi certa voluntas,
Pulchrum aliquid noſtris hodie permittere, ſi fas,
Agricolis inter ſolatia ruſtica vellem;
Idq; rogo, & meruere boni. Iam tempore longo
Quæ miſeros, nobis abſentibus, ægra fatiget
Cura, laborq; vides. Quid ſi manifeſtus vterque
Lætitiæ & ludo intentis, dum gaudia feruent,
(Idq; potes nutu) coram improuiſus adeſſet?
Quæ tibi mens? quid ais, pulcherrime? dixerat. Olli
Dius amor (quid enim matri neget?) ardua quãuis
Illa quidem, atq; inſueta popoſcerat, ore ſereno
Annuit: atq; diem feſtum, & conuiuia ruris
Claudere ſucceſſu libuit genialia miro.
Aſſenſit cœlo Genitor quoq; ſummus ab alto,
Altiùs hinc orſus quæ poſt memoranda canemus:
Inuentusq; modus, condictaq; tempora, luſus
Agreſtes inter, ſero poſt prandia ſole:
Tantus amor patriæ, atq; abſente in Virgine cura.
Iam virides ergo platani maioribus vmbris
Vndique opacarant hortum: tres circiter horæ
Reſtabant ſolis, fuſiq; hinc inde per herbam,
Aggeſtasq; trabes ſuper, & ſub vitibus altis
Agricolæ pranſi iam dudum tædia ventris
Diſtenti inter ſe vario ſermone leuabant.
Cùm ſenior iuuenes lentos in terga iacentes
Increpuit dictis pater Ammon: Oh quid inertes,
Ceu paſti ſaturiq; boues in ſtramine fuſi,
Tandiu, ait, ſegnes horas conſumitis? io!
Macti animis, pueri, deterſâ oſcedine; ludo,
Dum vacat, hoc reliquum traducite; ſurge age, Laban,
Surge, Ioas piger, heus! ohe! Simul Abra puellas
Parte

Parte aliâ hortari,atq;omnem vndique cogere pubè,
Nomine quamq; vocans; Eſther, Sulamitis, Eliſa,
Ad ludum: ludo pulcherrima præmia victrix,
Quæ ſocias curſu valeat præuertere, habebit.
Continuò ſuccenſi animi, atque arrecta iuuentus.
Conuenere omnes. Tumulo Suſanna virenti
Explicuit manibus velum, quod miſerat alma
Parthenis, heſternum munus. Quæ vicerit, inquit,
Hoc Mariæ peplo cingat ſibi tempora, ſed dein
Reſtituat poſt tres ſoles memor, atque roſarum
Dona dabo innexam philyrâ violisque coronam.
Inde alium, iuuenes, ludum celebrabitis; ipſe
Præmia, ait Ionas, victori pocula ſeruo,
Pocula plena mero. Præcedite rite, puellæ.
His dictis feſtus ſublatus clamor ad auras,
Iniectusque alacer furor, & noua gaudia cunctis.
Pratum erat, & ſalices inter longiſſima viſu
Semita vtrinque virens, longèque erecta ſub auras
Sylueſtris morus, cui quæ prior oſcula ferret,
Atque manu viridem ramum diuelleret, illa,
(Sic ſtatuunt) roſeum ſertum, & velamen haberet.
Ergo, locis pariter captis, Alphæus vtrisque
Percuſſis manibus ſignum dedit. Ilicet omnes
Effugiunt nimbo ſimiles, ſtudijsque iuuentus
Inſtigat varijs: Vrge veſtigia, Rachel,
Te Damaris propior iam iam tenet: Hei mihi! rhamnus
Veſtibus implicitus: Zambrim fuge, Dina, ſequentē:
Perge alacris Iuditha prior. Sonat vndique læto
Circumiectus ager ſtrepitu, vocesque per auras
Congeminat nemoroſa echo. Verùm omnia paſtor,
Paſtor amans Nimphæ, nimiâq; cupidine flagrans
Turbauit Daniel. Hic primo in flore iuuentæ
Iuditham ſibi promiſſam, quâ pulchrior vlla

Non erat æquali in cœtu, præcedere curſu
Ardebat; ſtudijſque, & niſu corporis omni
Incumbens, votis, oculiſque impellere euntem
Inſtabat: ſed poſtquam vltra perducere poſſe
Non aliter videt; heu! Damari nil tale timenti,
Heu laſſæ, quæ iam metam prope anhela tenebat,
Vicino è riuo faciem, veſtemque, capilloſque
Irrorauit aquâ, & feſtum maculauit amictum,
Reticulumque, & ſyrma nouum, calceoſq; niuales.
Illa furens animis ſorbum, quod fortè gerebat,
Conijcit in tergum fugientis, plurima fruſtra
Vociferans, oneratq; probris, & fuſte reperto
Nequicquam inſequitur: dumq; iras luctibus explet
Femineis; raptum interea Iuditha redibat
Oſtentans manibus ramum. Non liber habenis,
Effuſisq; iubis tanto redit impete victor
E ſtadio Maſsylus equus, non Parthica arundo,
Vt campos fugiens niueis quatit illa cothurnis,
Crinibus in ventum ſparſis. Sed virgo ſecuta
Æmula par zephyris, & deniq; crine prehenſam,
Iniectáq; vtráq; manu tenet, atq; virentes
Multa reluctanti frondes rapit; inde citato
Ipſa prior curſu redit, & ſibi debita dona
In medio cœtu exclamat, ſparſique recentes
Deplorat maculas riui. Sed & altera plorans
Sublatum repetit ramum, atque humeralia ſciſſa,
Et laceras queritur vittas: atq; hinc pater Ammon,
Inde vtramq; bonus dictis compeſcere Ionas.
Quin & ridiculus Nabal ſe gutture pingui
Arbiter in medio ſtatuit; quem plurima fantem,
Quà peponi agreſti par ſtruma excreuerat ingens,
Ambabus Damaris repulit facto impete palmis.
Labitur ille putre in ſtagnum reſupinus, vt ipſo
Margine conſtiterat propior. Riſere cadentem,
Nec

Nec ſeſe tenuit Iuditha, nec altera, cœno
Vt videre atro emergentem, quem excita circùm
Turba canum inſequitur lutulentum, &, quà fugit, anſer,
Atque anates raucis quatiunt clangoribus alas.
Hinc paulùm ſopiti ignes, & fractior ira:
Mitior hinc animis furor, & pax deinde ſecuta.
Concordes iunxere manus, & fœdere iuſto
Res ita compoſita, vt victrix Iuditha referret
Præmia: ſed mœſtæ Damari promiſit in aurem
Debbora partheniam chlamydem ſolatia victæ.
Sed non hîc finis. Lis altera deinde ſecuta,
Inque repentinum ſubitò verſa omnia luctum.
Stabant intentæ matres, & virginis vnà
Circùm omnes texto cingebant tempora flore.
Illa acubus fixis accommodat; altera ſubtus
Virgineum peplum nodo implicat; altera flauos
Educit crines; hæc denique corrigit omnia,
Atque aliter crines, & velum, & ſerta reponit
Florea: nec finis tricis muliebribus. Aſt heu!
Heu Daniel miſer! immeritæ qui præmia nuper
Abſtuleras Damari! Nunc ſacro denique velo
Clauſa, inter veluti nimbos argentea luna,
Vt ſtetit in medio tua Iudith compta amaranthis,
Et vernis redimita roſis; heu non tua Iudith
Ampliùs, heu ſponſum, thalamosq; auerſa repentè,
Et tedas exoſa fugit, pactosque hymenæos;
Coniugiumque palàm, & veteres detrectat amores.
Nequicquam mater, nequicquam cætera turba,
Atque auia, atque ſoror dictis lenire furentem:
O gnata, o miſeræ dolor, & ſpes vana parentis!
Vnde odia? vnde iræ? ſubitæque inſania mentis?
Ipſe amens paſtor flens, atque in genua volutus
Crimina ſcitari lacrymans, veniamque precari.

Aſper-

Aſpera ſed virgo, dictis haud mollibus, alto
Abnuit ore minax; quantumque miſerrimus ille
Obſequijs ambit; tantum illa ferociùs arcet.
Dein verſa ad matrem, Thalami iam deſere curas
Hinc, ait, o genitrix, lacrymisque abſiſte precari;
Nam mihi Carmeli ſacra inter culmina florem
Virgineum, atque æui illæſum ſeruare pudorem
Eſt votum: hanc certam inijciunt mihi ſydera mentem.
Tum verò infelix ſponſus quatiens pede terram,
Et ſciſsâ endromide, & chlamyde, abiectoq;galero,
Ingratam, immemorem, infidâ, agreſtemq; vocare,
Præmia cui ludo victæ nil tale merenti
Heu demens tulerat: nunc donis nempe ſuperba
Promiſſos fugit illa toros. Furit improbus irâ,
Et, niſi vi teneant conantem ſoluere capta
Brachia, fortè ruat præceps moriturus in amnem,
Aut ſanctum properet manibus reſcindere textum:
Tantus agit cæcam furor & veſania mentem.
At non paſſa diu triſtes mitiſſima Mater,
Nec donis turbare ſuis ſolatia ruris.
Audiat hæc, exoſa domum, ſiqua innuba virgo
Nubere cæleſti ſponſo velit: audiat illa
Cui thalamo felix, cui ſeſe obſtringat amanti.
Fortè in ſeceſſu viridi, dum talia feruent,
Tres pueri, ſummo ſpeculati in vertice nidum
Luſciniæ appenſum ramis, quà carpinus ingens
Floruerat, iactis glebis ſaxisq; per auras,
Deijcere inſtabant; paruis tamen irritus omnis
Iamdudum conatus erat: Cùm viſa repentè
E latebris ſyluæ ante oculos pulcherrima imago,
Inceſſu prorſus, geſtuque, habituque MARIA.
Illa erat, illa manu Puerum de more trahebat;
Seu viſa in ſpeciem tantùm, ſeu vecta per auras,

(Quidquid id eſt) medio coram nitidiſſima luce
Subſtitit, arridensque ſuo de more locuta.
O pueri, teneros haud fas conuellere nidos,
Atque ſuos matri per vim ſubducere fœtus,
Quos illa inſtruit ad cantus; nam deinde ſolutis
Illi etiam linguis, cantu nemora auia mulcent:
Huc, ait; & poſitis ſaxis accedere coram
Improbulos, cœnoque manus abſtergere iuſſit;
Eduxitque ſinu tria perſica, & oſcula rite
Ferre priùs manibus docuit; primumque Manaſſi,
Tum Ionathæ, Phineique dedit: dein iam fugientes
Acceptis donis, cupidos oſtendere, rurſum
Ad ſeſe reuocat, prohibensque ea lædere morſu,
Ferre intacta iubet: Veſtris & matribus, inquit,
Si vos fortè rogent, Maria hæc Ieſſeïa nobis,
Dicite, dona dedit; grauibus iam libera curis
Huc reditura breuì. Memores hoc deinde tenete:
Dicite Iuditham mihi ſeruent, quam meus Infans
Vult caſtis thalamis iam nunc ſibi nubere Ieſus.
Audiſtis? Iuditha meo deſponſa Puello eſt:
Hic meus, hanc, inquam, ſibi nuptam deſtinat
Infans.
Sic inſtat, nomenq; iterum, & mandata repoſcit,
Vt memores ſeruent, recitentque fideliter omnia;
Et bleſas voces, ſemeſaque dicta reformat.
Tantaque ſimplicitas erat, vt iam ferre docentem
Præcupidi haud poſſent: Ite ocyùs, ite, puelli.
Ocyùs exiguos per culta virentia greſſus
Accelerant læti; procul & clamoribus altis
Dona manu oſtētant: Maria hęc pulcherrima donat:
Mirantesque adeunt matres, gremijsque reponunt,
Et Mariam quandam, haud ſibi notam, hæc pulchra
dediſſe
Munera. Vbi? qualis? quęnam? rogat vndiq; circùm
Anxia

Anxia turba. Illi veſtes deſcribere, & ora,
Et digitis monſtrare locum, & promittere certos
Quamprimùm in patriam reditus; atq; inſuper addunt
Iuditham Ieſu deſponſam, hanc nubere certis
Promiſſis Puero. Tum facta ſilentia linguis,
Iniectusque pauor, ſopitaque iurgia amantum.
Illico deproperant certatim è colle virenti
Præcipites, ducibus pueris. Vbi verò? vbi viſa?
Solliciti, intentique rogant. Illi omnia circùm
Veſtigare oculis: Hîc primùm obiecta Manaſſi,
Hîc erat. Aſt illic iam fons argenteus vndâ
Stagnabat vitreâ; violæque, roſæque marinæ
(Sic Itali appellant albas) cernuntur in herbâ.
Illa tamen nec per ſalices quæſita, nec inter
Pineta, & larices, iterumque iterumq:vocata
Viſi vſquam reſponſa dabat. Viden', Iſmaris, illā!
Eccilla! At ſubitò ex oculis euanuit: at mox
Viſa iterum tiliâ ſuper altâ: at viſa refùgit.
En rurſum in ſtagno! Rachelis ſed fuit error;
Namque erat in nube, & vitreo apparebat in amne,
Nec deinde vlteriùs viſa viſi. At territi agreſtes,
Collectis cedris ſylueſtribus, atque liguſtris,
Iuditham Ieſu deſponſam rite ſacrabant,
Ignari quanto ſe nomine tollet ad aſtra
Bellatrix quondam; quantùm feret ardua palmas
Iuditham ſuper antiquam; quæque inclyta rerum
Hinc ſeries oritura ingens, Ieſſeïa poſtquam
Parthenis in patrios remigrauerit alma penates.

LI-

LIBER SECVNDVS.

ARGUMENTUM.

Virgo ex Ægypto redux in itinere ab Angelis conuiuio excipitur. Patrios colles ſubeuntem vindemiatores longè proſpiciunt. Oppidani admoniti obuiam exeunt. Domi Suſanna excipitur; inde paternas ædes ſubit. Puero, Matri, & ſeni nutritio felices ſomni, nocturno cantu, è cælo deuocantur.

CAndida iam cęlo reparabat cornua Phœbe,
Spiciferamq; manu radianti proxima ſoli
Erigone ſtellis gemmatā abſconderat axe;
Cùm lęti augurijs tandem cęleſtibus almę
Nazarij aduentum Diuæ ſenſere propinquum.
Scilicet hæc illis reditûs certiſſima ſigna
Diſcedens dederat Ionas: *Tria lilia quando*
In Mariæ ſpeculâ niueum de ceſpite florem
Protulerint, cœlo lunas exinde recentes
Obſeruate, inquit; *bis tertia namque reducet*.
Lilia vernarant, bis tertia lunaque primùm
Clara inter roſeas viſa eſt argentea nubes.
Et iam Diua parens Mareotica regna relinquens
Cæleſti monitu, ſæui poſt fata tyranni,
Cum ſene, cùmque ſuo tandem expectata Puello,
Nazareos læta in colles, atque arua redibat.
Olli puniceis interflauentibus ambit

Texta

Texta vmbella comas paleis, & tempora inumbrat,
Coccina quam propius ſubſtringit tænia nexu:
Obliqua ex humero deſcendit ianthina zona,
Qualem fuſca genas, & multo torrida ſole,
Singario veniens è pago Ægyptia mater
Ferre ſolet; niueos cyclas tegit ima cothurnos:
Fræna regens ſenior cuſtos it præuius: ipſa
Fœmineum in morem vehitur, nigrosque capillos
In ſpiram tortos mundiſſima lina coërcent.
Sylua fuit tamarice virens, elatiſq; recuruis
Palmarum, torto quà ſcrupea calle nitentem
Exigui laticis ducebat glarea venam.
Haud procul inde Ciſon it campis murmure rauco,
Prætextus glaucis cannis, limoque paluſtri,
Læta Palæſtinæ per pinguia culta volutus.
Hic, fluuij haud procul à ripâ, ſub colle virenti,
Bisdeni alati iuuenes, nemus inter opacum,
Floriferam menſam ſecretâ in valle pararant
Parthenidi, & nato: opportunaque tempora nacti
Ramorum è latebris læto clamore repentè
Erupere. Dolos timuit deprenſa viatrix
Extemplo: riſit cæleſtis Pupulus: ipſe
Improuiſum epulum ſenior, diſtentaque in herbis
Candida lina ſtupet. Circunfuſi vndique ephebi,
Pars onere infantis longo releuare parentem,
Quadrupedis pars fræna manu prenſare fugacis,
Sarcinulas ſeruare alij: mitiſſima Virgo
Officioſa queri, ſuperûm ſe fraude petitam,
Se circumuentam; ſimul interiora ſubibat
Frondentis ſyluæ, quà ſubterlabitur alnis
Hinc atq; hinc torrens. Illic gratiſſima laſſis
Parta quies paulùm, & viridi mora dulcis in vmbrâ.
Crinibus alludunt Zephyri, ſtrepit vndique pennis
Pictarum volucrum feſtus chorus, anthuli, alaudæ,

Ardeo-

Ardeolæque, canarinīq;. At rite miniſtri
Dant manibus lymphas: alij mantilia tonſis
Expediunt villis: alij cerealia liba,
Mora, oleasq; ferunt. Magno priùs alma Parenti
Attollens oculos, purasque ad ſydera palmas
Libabat Regina dapes; quas ordine pulchro,
In niueo alabaſtrite, inſperſis amaranthis,
Effuſisque crocis, adianto, & amaraco odoro,
Imponunt famuli, lac preſſum, cerea pruna,
Et mella, atque ſuis adopertas frondibus vuas.
Hæc cernens limis oculis teterrimus Orci
Rumpitur inuidiâ genius malus. Inter amœnæ
Anfractus vallis, procul obſeruarat euntes
Iampridem, ſcopulos circùm, & iuga celſa pererrans
Capripedi Satyro ſimilis: nunc anxius amens
Circùm ibat nemus: vt menſam qui olfecit herilem
Villoſus canis, at metuens oleagina tergo
Verbera, ſtratus lumi lances patinasque tuetur,
Hinc atque hinc motâ fallens ieiunia caudâ:
Haud aliter Stygius luſtrabat ſingula gurges,
Exertans oculos, nunc hàc, nunc peruagus illàc.
At circùm erranti, & per ramos cuncta tuenti,
A tergo alatus fidicen, cornu inter vtrumque
Barbiton infregit medium, quod fortè gerebat:
Nam tibi quò, petulans, aditus? ten', lurida peſtis,
Huc inferre? Apage hinc citiùs, procul, heluo.
Vento
Ocyor ille fugâ pedibus quatit arua biſulcis,
Tuta petens; ſummi ſcandentemque ardua montis
Cernere erat pauidum, celſâ de rupe tuentem,
Atque vtráque manu plagam ceruice tegentem.
Inde iter ingreſſi accelerant. Strepit æthere aperto
Læta phalanx, pennisq; ſuperuolat, aruaq; inumbrat.
Pars florum manibus plenis effundere nimbos
Virgi-

Virginis alba ſuper velamina: pars pedes ire:
Ille equitat croceas nubes, hic cruribus exit
E medijs nebulis, hic ſummis prominet alis:
Mille alij varijs nectuntur in aëre nodis.
Sic peregrè incedens patrijs pulcherrima campis
Virgo propinquabat, vultu allatura beato
Solem improuiſum, inſperataque gaudia ruri.

Tempus erat, quo læta nouo gens munere terræ,
Grandinis, atq; Auſtri immunem, illæſumq; pruinâ
Autumnum plauſtris, & ſera legumina vectant
Frugiferis è vinetis in ruſtica tecta.
Iamque fere medio octobri vindemia circùm
Exacta in campis fuerat: reſtabat apricus
Azariæ collis, quò ſe gens ruſtica bennis
Atque vncis tulerat cultris, confertaque paſſim
Vimina erant nigris vuis: ſonat omnis agreſti
Lætitiâ & cantu cliuus. Cùm raucus arator
Auditus procul è ſulcis intendere vocem
Ingentem, & monſtrare manu quiddam eminus: Heus o!
Vos, inquit, Mariæ redeunti occurrite; namq; hic
Bos cornu petit, & nequeo diſcedere. Sed vox
Eminus audiri haud poterat; fruſtraque per auras
Itque reditque idem venoſo è gutture clamor.
At Ierichunta emenſa oculis latè vndiq; campos,
Atque arcens manibus phœbeia ſpicula vtriſque,
Per callem exiguum, vix, multo in lumine ſolis,
Agnouit reduces, intentoque indice matri
Monſtrauit Zebidæ, hæc Myriæ atque Orphæ, Orphaque Oſiæ,
Atq; hic Romeliæ, hæc Liæ. Sed non tamen illam
Credere vult Ionathas: Illa eſt, illa, inquit Eliſa,
Quam te ego præſentem video. * Quo pignore certas?

*Quo

*Quo tu cunque velis: ſignabatq; indice certo,
Nec iam amens animo poterat, nec colle teneri.
Interea obſeruant alij quà Syluia monſtrat,
Syluia Idumæas inter pulcherrima Nymphas,
Intentisque oculis, & hiulcis oribus adſtant.
At pueri iam præmiſſi, garritibus altis,
Illa eſt, vnanimes geminant: illa, inquit arator,
E ſulcis iterum clamans. Tum protinus altis
Decurrére iugis, ciſtis in colle relictis,
Viſcatis manibus raptim ad femoralia terſis:
In corbem præceps Zabulon, in mulctra Barucchus
Prolapſi, atque agiles iterum (tanto impete oborta
Gaudia) deproperant læti. Quis murmura verò
Explicet, & voces, vultusque, hilaremq; tumultũ?
Illam omnes in tecta ſequi velle: at bona mater
Id vetat, & qualis vindemia quantaque, læto
Ore ſerena rogat; comitesque anteire volentes
Abnuit omnino. Tamen vuas rite ligatas
Et puer, & cuſtos, & formoſiſſima Virgo,
Quisq; ſuas manibus gratiſſima dona ferebant.
Hinc iter accelerant. Mater blandita puello,
Purpurei autumni donum ſibi læta popoſcit.
Ille dedit, manibus ſublatum munus vtrisque
Oſtendens. Dictu mirabile! iuncta racemo
Improuiſa ceres mixtis flauebat ariſtis,
Quale amethyſto aurum nexum, inſertumue pyropis.
Obſtupuit genitrix: Vnde hæc, vnde aurea meſſis?
Cui Puer: Hâc olim geminâ ſub frugè, cruento
Iam propior letho, inſtituam ſolemnia ſacra,
Atque vtroque tegam Numen mirabile velo.
Nec plura: attonitam dictis, trepidamq; reliquit.
Corripuere viam, quà multo ſemita gyrat
Autumno diues. Dextrâ, læuàque frequentes
Lag(an-

Iuglandes, prunique, humilique ex arbore ficus,
Confertis ramis, prætexunt vndique callem.
Cernuntur veteres turres, atque oppida longè,
Immenſum camporum æquor, nemorumq; receſſus,
Auditurque fragor torrentis, quem caua ſubtus
Vallis agit per ſemeſæ decliuia ripæ:
Hinc iter in patriam nemoroſo tramite villam,
Quam ſol purpureo deuexus lumine inaurat.
At pueri interea, quos non retinere poteſtas
Vlla fuit, raptim celeres in tecta volarant,
Ægrè animam præ lætitiâ curſuque trahentes,
Nuncia lætitiæ pubes. Volat illico fama;
Fit clamor tectis; Mariæ euulgata propinquæ
Nomina læta ſonant: ſtrepit omnis murmure pagus.
Ad Deboram Samuel, ad Saram deuolat Eſther;
Contiguam Zambrim foribus Suſanna vocabat;
Hæc ſpeculâ ex altâ Sulamitim; hæc læta, feneſtris
Ore exerto, Amarim: Ieſſea puella, ſodales,
Clamat, io! reducem iam nuncius alter & alter
Rettulit. Exoritur clamor, variæq; viciſſim
Scitantum voces: ſed & ipſi cruribus hirtis,
Audito ſtrepitu, lacubus qui vina premebant,
Attoniti ceſſant, & quæ noua gaudia poſcunt,
Prodibantque rubro depicti corpora muſto.
Iamque iter accelerans proceſſerat obuia campis
Suſanna, huic Iudith comes ibat, pulchraq; Eliſa.
Nec longum in medio tempus, cùm viſa per vlmos,
Perque humiles vites herboſo incedere cliuo,
Pomiferos inter peregrina Puerpera ramos.
Agnouere procul veſtes, lacrymaſque dedere:
Mox plauſum ingentem tollunt, quo perſonat æther,
Et circumiecti colles, valleſque reſultant.
Exiguum reſtabat iter; ſpatijque, quod vſque
Na-

Nazareum ad pagum ſupereſt, abſoluere Virgo
Vult pedes: arreptis frænis deducere aſellum
Inter ſe pueri certant: Iudithaque pulchrum
Implicitum manibus Ieſum trahit: ipſa ſodales,
Mirantesque inter pergit Ieſſeïa matres,
Reſpirans placidè, atque oculos per ſingula ducens,
Suſtentatque manu veſtes, quà ſemita aquoſa eſt.
Sarcinulas humeris Ionathas gerit: obuia paſſim
Armenta occurrunt, agreſtumque agmina. Iamq;
Apparent humiles muri, turresque vetuſti
Oppiduli veſtitæ ederis, antiquaque tecta,
Quæ procul agnoſcis, Senior bone, flensq; ſalutas.
Ipſe diem nollet iam ſeram abſoluere Phœbus
Tam citò, deque ſuo dolor eſt deſcendere curru,
Atque vtráque manu roſeos tenet axe iugales.
  Aſt vbi Suſannæ bona Virgo euaſit in ædes.
Hic fragor, hic ſtrepitus, amplexus. oſcula [illegible],
Mille hilares voces, mixtumq; ſine ordine diſcors
Vndique murmur erat. Nec viſo littore nautæ,
Nec genitrix nato, nec coniuge nupta recepto,
Quem bello, aut pelago extinctum decepta putarat,
Nec quidquid poſſunt læti ſibi fingere noctu
Inſomnes vates, æquare hæc gaudia poſſint.
O tandem poſt ſecla redux! o denique ſoſpes
Reddita lux orbæ patriæ, expectata tot annis!
Ut formoſa redis nil cælo decolor illo!
Quæ via, qui curſus, quæ ſors inopina reuexit?
Ecce humeris curuis octogenaria coniux
Alphæi, explicitis vlnis, edentula voces
Non intellectas labijs conatur vtriſque,
Et gnatam (ſic illa vocat) complexa fatigat.
En Beroë, en veniens è torcularibus Abra,
Muſta recentia vtráque manu lætiſſima portans,

Cui puer hinc Ammon, hinc Ruben veſtibus hęrent.
Mox Debora aſcenſu ſubit improuiſa repente,
Ingenti clamore ruens in colla, lacertis
Iniectis hærens non extricabilis: ipſa
Candidior niue Ciſſa latrans formoſa catella
Agnoſcit reducem, & circùm mille implicat orbes,
Et veſtes ſcalpit, genibusque audacula reptat.
Vtque animam Debora aſſumpſit: Mella, inquit, in horto
(Attraxitq; auram toto ore & pectore anhela)
Mella, inquam, è ceris dum ſeligo, nuncius Helis
Te aduenisse tulit, mea lux; huc protinus amens
Aduolo; ſed fari vix poſſum, namque cucurri
Præpetibus ceruis, & fulminis ocyor alis.
Ut tandem amplector! Quæ ſors, dulciſſima rerum,
Quæ reducem fauſta aura tulit? nam patria nunquã
Oppida viſuram, & prorſus mutaſſe Canopo,
(Me miſeram!) hos agros, & tecta antiqua putarã.
Vt te verſicolor decet hæc Ægyptia palla!
Hiccine Niligenis cultus habitusque puellis?
Te ſinito huc paulò propiorem in luce videri.
Hæc inter feſtus ſublatus clamor ad auras,
Illatæq; faces, & lux face pulchrior omni;
Namque aderat pulcher IESUS Samuelis in vlnis,
Atq; vnà longæuus Amos, & vertice glabro
Natanaël; veteres Ioſeph quos inter amicos
It lacrymans; interq: manus pulcherrimus Infans
Stabat, vt in medijs niuibus roſa nata decembri,
Quam circùm canæ glacies mirantur & imbres
Vernantem, nec duram hyemem, nimbosq; timentẽ.
Hinc Berſabæa, hinc Rachel, & Sylиia ridens,
O quæ bella humero veſtis, niueique cothurni!
Quæ manus hæc neuit, quæ licia candida torſit?
Ille,

Ille, ori digito inſerto, placidiſſimus adſtat,
Nec pauet hirſutum mentum Samuelis, & horrens
Brachia circùm, ſemiadapertaq; pectora linum.
At ſatis eſt, matres, ſatis eſt: diſcedere laſſam
Iam finite in patrias ædes: nam tempora fando
Haud deerunt: ſic Beris anus, ſic Debbora dictis,
Sic iubet ore graui Samuel; nam ſiſtere votis,
Nec precibus potuere vllis, facibusq; præibat
Iuditha, inq; diem (nequicquam, Diua, recuſas)
Debbora iam ſtatuit conuiuia feſta ſequentem.
Talia Virgo tulit patrio ſolatia ruri,
Poſt noctem obſcuram, ſuſpiria, votaque multa,
Mercedem luctus, primæque crepuſcula lucis.
Nox ruit. In nidis volucres, in frondibus aura,
Ipſa etiam ripis ſtagna acclinata quierant;
Et dormire putes, pictasque in gurgite ſtellas
Eſſe quieſcentis nitidiſſima ſomnia lymphæ.
Cùm leuis in nimbo delapſa volucribus alis
Lætitia in terras ſtellato ex æthere venit:
Cui comes ille ciens animos, & pectora verſans
Spiritus, (*a*) à capreis montanis nomen adeptus,
Ignotum Latio nomen; pictoribus ille
Interdum aſſiſtens operi, nec ſegniùs inſtans
Vatibus, ante alios Muſis gratiſſimus hoſpes.
Paſtor erat Didymus, qui quondam captus amore
Cæleſti ſeſe comitem ſociumque puello
Addiderat Ieſu. Is ventos prædicere doctus,
Quidue obitus ferrent varij, aſtrorumque meatus,
A ſtrepitu procul, & turbâ, ſylueſtribus annos
Egerat intentus calamis, haud noxius vlli.
Felix, cui vigiles nondum prudentia curas
Attulerat veniens; quin rerum incuria, & ipſa
B 2 In-

(*a*) Vulgò *Capriccio*.

Inconſtans mens, & vaga conciliarat amorem.
Huic leuis, in noctem iam ſeram, Spiritus ille
Lætitiæ comes inſiluit; quo plurima ſecum
Ibat agens animis, inſueto percitus œſtro.
Namque iniecta hilari mens improuiſa: ſub ipſis
(Cogere ſi poſſet ſociorum plectra) feneſtris
Virginis, inſtruere ad citharam melos; atq; ſereno
Hoſpitibus feſſis cælo deducere ſomnos.
Sed quid tum poterat? quoſue importunus adiret?
Aut pulſare fores obſcurâ auderet in vmbrâ?
Hæret inops animi, mentemque per omnia verſat.
Ecce autem, vario ſecum dum fluctuat æſtu,
Ecce, inquam, ſocij vates, quos entheus idem
Spiritus excierat. Citharas hic vertice eburno,
Ille lyram ex ebeno, hic ſiſtrum, ſua munera quiſq;,
Delicias, atque agreſtum interualla laborum,
Attulerant ſecum. Non gratior vlla voluptas,
Quam quæ improuisò condicta acceptaque, nullis
In longum trahitur dilata ambagibus. Ergo
Vnà omnes pariter per opaci compita ruris,
Quò furor immiſſus, quò mens incenſa vocabat,
Elpinius, Paſtor Ligus, Alcindusque ſecuti,
Montanusq; (hæc nomina erant; ſed Montius iſte,
Hic Magius vulgò dicti, Paſtorius ille,
Hic Lemene) papaueribus, fertisque roſarum,
Et violis crinem præcincti: nec mora. Poſtquam
Ventum eſt ſtellato ſub dio ad limina nota;
Summiſſim inter ſe primùm, intentique canoras
Auribus explorant chordas, tenduntq; remittuntq;
Ad numeros calami certos. Cunctisque paratis,
Dum quiſque officijs certat, primusq; recuſat
Rumpere præ reliquis nocturna ſilentia voce;
Ipſe canam, finem poſiturus, Didymus inquit:
Nam,

Nam, vereor, ſi fortè puer vos ille canentes
Audiat, haud vnquam vigilantes claudet ocellos;
Vſque adeò veſtras dulce eſt audire camœnas.
Ipſe autem, quantùm rauco modulamine poſſum,
Inſidiatricem, venatricemque ſoporis
Fabellam meditor, quæ tædia, languoremque
Paulatim inſinuet. Simul ergo per aëra ſomnos
Videritis cælo delapſos, illico nobis
Ceſſandum; inq; humiles, nullo clamore, feneſtras
Cogendi bellè. Facilè eſt agnoſcere: plumæ
Sunt humeris variæ, ſunt alba papauera circùm
Tempora, populeosq; agitant ſine murmure ramos.
His ita compoſitis, per opaca ſilentia paſtor,
Concordes inter citharas, ſic ora reſoluit.

Humanus peragrabat Amor, ſine viribus, æger
Iamdudum: furtim namque ille comederat horto
Aurea poma, latens quæ fortè infecerat anguis:
Optabatq; miſer quiddam, nec quid ſibi vellet
Infelix norat; ſed erant medicamina quædam,
Quæ tamen haud vllis poterat conquirere terris.
Venit ad auriferum Gangem, ſed acerbiùs inde
Aucta ſitis; ruſumq; Tago ſitis altera creuit.
Sedit Erythræum ad pelagus, ſed littore in ipſo
Dum conchas aperit digitis, digitum vna momordit,
Quem læſum intorto religabat tænia filo.
Venit & in Cypron laſſus. Quid ſingula narro?
Nullum erat in terris ægro ſolamen Amori.
O miſer, ignarus quæ pars tibi cognita nondum
Terrarum profugo reſtet! Tibi reſtat Idume:
Hæc regio, hoc cælũ, hæc certam feret aura ſalutem.
Venit Idumæas tandem....(ſubſiſtite paulùm;
Nam quiddam, inſtar auis, viſũ eſt conſidere opacos
Hoſce inter ramos: ſopor eſt pulcherrimus: & mox,

Spero, alios pariter deducam in retia cantu)
Venit Idumæas tandem, inquam, feſſus in oras,
Iordanemque bibit: dumque agris deuius errat,
Lamentisque vias, atque auras queſtibus implet;
Illum mœrentem vidit pulcherrima mater,
Cœleſtis pueri mater, tenuitq; fugacem,
Plorantique dedit bellaria: verbaque dixit
Blanda adeò, dulcesque minas adiecit, vt ille
Captiuum dederit ſeſe; ſubijtque penates,
Aſſueuitque puer lacti, mellique; nec auro
Sortem hanc, nec gemmâ quauis, pretioue dediſſet.
Hic æger paſſus curam eſt, hic iungere vtrasque
Edidicit palmas, ad ſolem verſus eoum,
Curuatis genibus ſupplex; hic denique lentâ
Senſim conualuit febri... (ſubſiſtite rurſum;
Nam tecto inſedit, ni fallor, penniger alter
Somnus; at exiguus latet, & vix prominet alis
Vndique ſtellatis: ſupereſt nunc tertius; at mox
In viſcum veniet) febri, inquam, denique lentâ
Senſim conualuit: ſed quàm breuis, ah! fuit iſta
Parta ſalus, miſerande puer, mox, heu! moriturus
(Aſpera nam ſic fata volunt) moriturus acerbo
Funere. Namque aderat ſub eodem paupere tecto
Alter Amor, ſed cœleſtis, ſed natus olympo;
Terreſtremq; illum dedignabatur eodem
Sub lare, quippe leuem, cui vox, cui mellea tantùm
Vis inerat verbis, ſed nullæ in corpore vires.
Ergo aliquando miſer fando dum plurima iactat,
Vt ſolet, atque alium vocat in certamina demens,
Seu luſus, ſeu lucta fuit, (quidquid fuit) ictu
Stratus humi cecidit; nec profuit illico vitam
Poſcere, nec cubito, manibusq; auertere vulnus;
Vulnus atrox, lethale imo ſub pectore fixum eſt,

Nec

Nec lacrymæ, gemitusue vlli valuere precantis.
Saucius ergo, ægreque trahens veſtigia, tecto
Succeſſit, iacuitque toro; ſed amabilis illa
Plaga erat, atque adeò dulcis, vt ferre medelam
Nollet, nec riuos calidi retinere cruoris,
Nec fomenta pati: donec cum ſanguine vires
Paulatim exanimes abiere, exhauſtaque vita eſt.
Ah puer! ah! iaculis quis te concurrere, demens,
Talibus incautum traxit non viribus æquis?
Accipe nunc, quæ non ſentis, ſolatia mortis.
Nam pulchram vt vidit faciem, & fera vulnera victor,
Effudit lacrymas, impleuitque aſtra querelis,
Incubuitque ſuper, dixitque tenerrima verba.
Dumque ſinu toto fouet, & dum brachia collo
Inijcit, atque arctis, teneriſque amplexibus hæret;
Tam valide exanimem preſſit, ſic membra lacertis
Frigida ſtrinxit, vt è geminis amor vnus & idem
Extiterit pueris. Sic terris irrequietum,
Humanis rebus laſſum, miſerèque vagantem,
Diua, trahis noſtrum mirâ dulcedine amorem,
Ægrum quem reficis blandè; mox viribus auctus,
Paulatim exuitur terrenis ſenſibus: inde
Euadit cœleſtis amor. Iam ponite plectra:
Fabellam cecini, nec fas producere carmen.
Nam, bene ſi video in tenebris, tandem vltimus axe
Labitur ecce ſopor nitidis argenteus alis.
Iamque omnes gradiuntur humo; iam recta volatu
Sacra petunt: iamq; ille Senis frontem inſilit; alter
Plumiferis digitis tibi, Pupe, reſignat ocellos:
Ille vtrâque manu furtim niuea ora Parenti
Obtegit à tergo. Tranquilla ſilentia, labris
Admoto digito, ſubeunt: Genij nocturnas
Lampadas extinxere omnes: tuque humida velo

Nox ſuper extento procul hinc diſcedere mandas:
Namq; horæ ſex nigricomæ, quæ ſomnia portant,
Somnia pulchra, ebeno textis incluſa caniſtris,
Haud inferre pedem, nobis præſentibus, audent.
 Pergimus: at vobis, vates, pro munere tanto,
Hic Puer, & Pueri cuſtos, formoſaque Mater,
Supremus ſomnus cùm ſerò aduenerit, adſint.

LI.

Digitized by Google

LIBER TERTIVS.

ARGVMENTVM.

Dæmon liuore concitus bellum aduerſùs IESVM molitur. Speculatores lemures mentito habitu Nazareth præmittuntur. Armiluſtrium inſtituitur in Perſide. In conuentu matrum, præſente Virgine, Dæmon explorator detegitur. Deipara ab Angelo monetur, vt ſecedat cum Puero in deſertum D. Ioannis Baptiſtæ. Caſtra inferna in montes Abarim deſcendunt, atq; ibi rixâ exortâ, mox claſſe aëreâ dæmonum delapſa, bacchanal celebratur.

Qualis formoſum niueâ ceruice catellum,
Virgineo in gremio manibus quem comit eburnis
Fœmina, ſic meritum cernens dolet inuidus, ore
Allatratque rudi turpis quandoque moloſſus,
Dilectus dominæ ille etiam, cùm candidus olim,
Et tener, & blandus fuerat; nunc vincula collo
Geſtantem abſterrent menſis, & poſtibus arcent:
Haud aliter Puerum cœleſtem dum videt hoſtis
Luridus, ipſe etiam quondam, cùm degeret aſtris,
Delicium cœli; ringit, totuſque veneno
Liueſcit miſer, & partes ſe verſat in omnes,
Lædere ſi tenerum queat, atque abſumere letho.

Quin etiam infelix iubet arma capeſſere vulgus
Tænarium, atque iterum ſuperis indicere bella:
Demens, qui rurſum tentare pericula Martis
Auſit, &, vnde olim cecidit, ſe credere cœlo.
Vnde adeò incenſus furijs huc turbidus vſque
Prælia diſtulerit, cauſas euoluere ab alto
Longa foret ſeries. Pharij namq; arua Canopi
Vt primùm tetigit Deus infans, illius omnis
Horruit aduentum iam tum Mareotica tellus,
Oraque torſerunt ſigna ærea, templaque paſſim
Traxere ingentes rimas; ſimulacraque mutis,
Aduentante Deo, preſſere oracula linguis.
Hinc rabies collecta ingens, ſemperque recenti
Clade auctus dolor, & virus: centum acta ſub Orco
Concilia: innumeræ fraudes textæ atque retextæ:
Cōſcripti, expunctiq; duces. Mens omnibus anceps,
An vates, an fortè aliquis de gente ſupremi
Ordinis: an demum (quod non eſt credere) Numen
Humanâ lateat ſub imagine. Nec minùs acti
In diuerſa animi, quid agant, quibus artibus obſtēt;
Num ſimulent, num marte palam cōcurrere certent.
Ac veluti, priùs abruptis quàm nubibus imber
Præcipitet, longè clauſum inter nubila raucum
It murmur, ventique fremunt, noxq; ingruit atra
Paulatim cælum eripiens; & iam tonat axis,
Iamque cadunt guttæ ingentes: tum deniq; fractus
Horriſono bombo ruit inter fulgura nimbus:
Haud aliter cæcus furor, atque odia aſpera tandem
Euaſere modum; bellique obſtacula rupit
Ille explorator quondam teterrimus, auſus
Os inferre epulis, reduci quas cœlica turba
Virgini adornarat. Probro ignauiſſimus impar
Per deſerta vagus Samareïa, tempore longo
Abditus in ſyluis latuit: Stygiosque reuerſus
Po-

Poſtremò ad manes inhonorum in vertice vulnus,
Quod nemore in ſacro cithariſta inflixerat Ales,
Oſtendit coram; quæque illic viderat, & quæ
Audierat retulit. Tunc imis atra medullis
Exarſit rabies, penitusque ignauia triſtis
In flammas abijt: tum fracta repagula Ditis,
Tum ſocijs data libertas, patefactaque clauſtra,
Emiſſæ furiæ ex adytis, decretaque bella.
Principiò lemures præmiſſi Nazareth, ore
Mentito, atque habitu agreſti, qui tempora nacti
Inſidias ſtruerent, atque explorata referrent.
Illi autem, ne quid malè comptum turpia Auerni
Proderet, his dictis menda erroresque monebant.
Hanc tu cornigeram frontem meliùs niſi celes,
Dignoſcére ſtatim; atque aliquis fortaſſe choraules,
Capripedi vt ſocio, citharâ tibi rurſus ad aures
Carmen idem recinet.* Tibi verò hæc bubula calce
Vngula ſe nimiùm prodit.* Tu pellibus vncos
Hos digitos: * Tuq; auriculas has obtege: * Tuq;
hanc,
Quæ malè ſerpit humi ſinuoſa, recollige caudam.
* Neſcio quid fiet hoc: quoties mentirier ora,
Inceſſiue hominum libuit, quid ſemper iniquum
Proſilit, atque aliquod fruſtum Orci, aut lingula
pendet.
Nunc, Stygij, huc animum, fratres. Nos Belphegor
iſtoc
Exploratores mittit, qui nunc Babylone
Eductos Erebo pedites, equitesue recenſet
Aduersùs Puerum, cui centum millia fama eſt
Aligerûm lateri aduigilare. Puérne, Deúsne
Incertum: remq; hanc ſcabere, & ſibi cuncta referri
Continuò mandat. Vos ergo aduortite mentem
Quid mediter, quæ ſe primùm ſors optuma pandat.

Cæſorum eſt hodie infantum lux annua. Rite
Conuenient matres in ſyluam, vbi ceſpite ficti
Sunt tumuli ſeptem lactentum: atq; huc quoq; mater
Adueniet pueri Ie.. (vau! ferme excidit ore
Flammiuomũ nomen, quod ſulphure peius adurit)
Hic ego ploranteis inter lacrumabor, anilem
In ſpeciem, curas acuens, mixtoque dolorem
Felle ciens, ſpargamq; ignes, & nigra venena.
Vos, ſimul in vulgus paulatim ſerpere virus
Cœperit, extemplo facies aſſumite matrum,
Quæ peregrè Ægypti veniunt ex vrbibus, atros
Appenſos pueros zonis ad colla gerentes.
Atq; ibi clade pari (cùm Memphi degeret infans
Ieſſeus) cæſos pariter ſine more puellos
Dicite; voſque ægrè elapſas, mediosq; per enſes,
Perque neces, veſtros rapuiſſe è funere gnatos.
Sic fraus egregiè mihi nodo intexta; nec impar
(Spero equidem) merces operi promiſſa ſequetur.
Talia iactantes, densâ caligine ſepti
Ibant, & muros pagi portasq; ſubibant,
Atq; locum, inſidijsq; modum, tempusq; parabant.
Atque ea dum lemures obſcuræ noctis in vmbrâ
Conſilia, & fraudes agitant, iam Perſidos aruis
Conſtiterat legio Ditis; tanto illa paratu
Flammarum, atque æris, quanto ſi funditus orbis
Vaſtandus terræ, aut repetendum vltricibus armis
Sydus hyperboreum, ſoliumue Aquilone locandum.
Non tot ad Euphratem vaſtis tentoria campis
Victor Amurrathes quondam Babylonia circùm
Mœnia diſtendit; nec tot Muſtaphus eois
Viribus excitis, totoque Oriente coacto,
Auſtriacam impleuit nuper terrore Viennam,
Quot Stygias turmas ſub ſigna coëgerat Orcus,
Atq; vrbem flammis & fumo, atq; æthera, & omnes
Aſſla-

Afflarat campos. Callotti quiſquis eremum,
Infernaſque acies pictas, portentaque vidit,
Totque illic Erebi formas, Antonius olim
Numine confiſus quæ diſpulit omnia in auras;
Ille ſatis nondum ſibi ſpectra horrentia fingat.
Quid primùm, quid deinde canam? Namque aëre
toto
Plena auium ſtygijs roſtris, plena omnia gryphis,
Atque ipſo emergunt orcæ, atq; acheruſia cete,
Attolluntq; caput fluuio, & vada turbida verrunt.
Tercentum in leucas latis exercitus omnis
Porrigitur campis; quantumue interiacet arui
Harpyiæ, Scyllæque tenent, nigrique elephanti,
Phantuæ, Onoſcelides, Phoniq; leuesq; Paredri;
Vexillumque Erebi ferratâ è cuſpide pendet
Dæmonis hirſuti pellis, quam ventilat Auſter,
Ipſe etiam ex Erebo perflans. Quid murmura,
circùm,
Quid raucos fremitus, caſtrorumq; otia cantem?
Pars piceos infrænat equos, pars ærea ſtipat
Tormēta, ingeſtis lemurum in caua viſcera turmis,
Atque alius bombo horriſono diſplodit in auras.
Hic Centaurorum ſubmiſſo poplite calces,
Atro præcinctus corio, conuitia iactans,
Æratis ſoleis ferruminat: ille retuſos
Exacuit mercede vngues & cornua paſſim,
Cum ſtridore rotâ circùm actâ, quam pede verſat,
Doliolo è nigro in ſilicem ſtillante cremore.
Tum diræ facies, quales de marmore ſummis
Delubris Gothicis proſtant, cœloue cadentes
Excipiunt pluuios imbres; vel qualia in hortis
Romuleis Tiburtino ſpirantia ſaxo
Ora labris bifidis, magnoque patentia rictu
Albuneæ iaculantur aquas. Hæc omnis apertis,
(Aſſy-

(Aſsyriâ poſtquam latè conſederat orâ,
Iamque aderat toto miles collectus Auerno)
Ibat ouans legio campis. Præit horrida cantu
Buccina, Tænario Phlegethonte audita, cauernisq;
Æmula reſpondet ſtygijs. Prima agmina Alaſtor
Millia centum agitat lemurum, quibus omnibus ora
Effuſo varioque ſonant diſtorta cachinno;
Omnibus æquoreæ ſummâ pro caſſide conchæ,
Ac fruſtillatim ſciſſæ per corpora abollæ.
Hi campos habitant imi aëris: æthere magno
Namque ferunt olim diſcrimina neutra ſecutos,
Nec ſtyge, nec cœlo admiſſos, volitare per auras.
Poſt hos implicitus nimbo, nigrâque procellâ
Arbiter Oceani Typhon ſeſe arduus infert:
Quem ſequitur Rummus, Rummus qui deuia ſaxa,
Quique ſinus habitat Locarni, & vertice ab alto
Margutij veniens Verbani exaſperat vndam.
Centum illi lamiæ comites, anus Orchia, & Afra
Euganeæ; Nannæaque Fæaque iunior, ambæ
Vindelicæ, & Rhætæ innumeræ, Marſęq;, Sabellęq;
Atque æris fabri, fumoſoque ore caminis
Aſſueti furuis pannoſâ in veſte banauſi.
Hinc ſtridor varius, veluti cùm ſumma domorum
Riuales glaucis oculis ſe torua tuentes
Noctibus hybernis percurrunt culmina feles.
Vnà omnes ſpiſsâ pluuiali in nocte feruntur,
Terrificosque cient nimbos. Heu vindicis ira
Numinis! heu quantum pulcherrima ſydera
Olympi
Deformare ſcelus quondam; quantum impia regni
Ambitio potuit, ſolijque inſana cupido!
Poſtremò inſignis maculoſi pellibus hydri
Quadrijugo it curru Dramelech, qui prælia primus,
Quiq; arcus Scythicos docuit, volucresq; ſagittas
Mille

Mille repertores ſecum trahit ille nocentes,
Qui ferri infandos vſus, qui dira venena,
Qui peſtes, morbosq; nouos, & Theſſala philtra,
Atque alia in populos miſeros inuenta tulere
Noxia: quos ſequitur clauditq; nigerrimus vnus,
Vertice demiſſo, qui feris inuehet annis
Flammiferas bolides; iam nunc ſecum ille volutat
Triſte magiſterium flammæ, pandasq; carinas,
Arcanique ignis non euitabile fulmen.
Singula quid memorem? quid formidabile murmur?
Quid rictus varios, quos haud fas dicere? namque
Ipſæ etiam baliſtæ, ollæ, tentoria, carri,
Tympana erant ſtygij Cacodæmones; oraq;, & igneos
Abſtruſos oculos hâc illâ in parte gerebant.
Ad ſtagnum obſcuris piceis, atrâque cupreſſo,
Ilicibus ſeptum nigris poſtquam vndique turba
Littore conſtiterat (dictu mirabile!) ſignum
Tænariæ cecinere tubæ: Tum protinus omnes
Quadrigæ, pedites, equites, carpenta, cameli,
Quot non vaſtator Totilas, non Attila ſecum,
Aut Tamerlanes olim conuexerat, omnia
Emiſſis alis ingentibus aëre ſparſis,
Tartareo in nimbo pennis ſubuecta volabant.
Talibus horrendus ſpectris eruperat Orcus
Multa timens: nec enim mortali pugna gerenda
Cum ſtirpe, aut ſimplex aliquis fallendus eremo
Syluicola; at dura in ſuperos, atq; ardua in ipſum,
Pro templis, ariſque Deûm, ſpolijsque repoſtis,
Bella fore armatum gens præuidet impia Numen.
Nazareæ interea matres, vt rite quotannis
Mos erat, Infantes, quorum annua fata redibant,
Vnanimi in cœtu flebant. Nam myrtea ſylua,
Et ſyluâ in mediâ pratum, circùmq; frequentes
Colli-

Colliculi exigui, monumentaque triſtia paſſim
Extra vrbis muros fuerant. Fueratque ibi, gnato
Dina vbi mœſta ſuo, atque ſuo mœſtiſſima Rachel,
Atque aliæ, aggeſtâ terrâ, teneriſque cupreſſis
Ornarant tumulos; tumulos tamen intus inanes,
Quippe ignotus habet procul hinc corpuſcula agellus.
Nil miſerabiliùs viſum vnquam. Namq; vt acerbis
Ærumnis aderat quæ dictis blanda mederi,
Solarique ægras Virgo miriſſima voce
Et vultu poterat; iuuat omnem euoluere coram
Flebilis hiſtoriæ ſeriem, quam dicere ſæpe
Conſuerat Rachel: ſed nunquam ſic lacrymata eſt,
Nec lauit velum vberiùs, quo lumina tergit
Interdum narrans calido manantia fletu.
Heu natum illa ſuum cæſum crudeliter ipſo
In gremio, paruaſque manus, atque vtraque collo
Brachia tendentem lacrymis reminiſcitur ægra,
Quo gemitu concuſſæ aliæ, luctuſque ſecutus
Ingens; fœmineis reſonat nemus omne querelis.
At medios inter ploratus cuncta ſcelestus
Ille explorator ſtygius terrore repentè
Ridiculoq; metu impleuit. Nam ſederat herbâ
Ipſe etiam in viridi lugens, ſpiſſoque nigroque
Se abdiderat panno, viduæ ore, habituq; Phenennæ;
Ereptoſque ſibi geminos vlulare nepotes
Conabatur: eratque adeò ſine more modoque
Expreſſo in luctu deformis, vt ipſa modeſtum,
Quanquam diſſimulet vultu, vix, credo, teneret
(Conſcia quippe doli) Virgo pulcherrima riſum.
Namq; vtrâque manu complectens tempora, labris,
Barbula queis inerat, fœdè hinc atque inde reductis,
Singultuſque trahens crebros, velut antlia ſicca;
Hos,

Hos, frontem caperans, vultu lugentis amarùm,
Perfida turpis anus queſtus dabat: Ah miſeram me
Ah meus ereptus fato Nehemillus acerbo,
Cui furui crines, vultusq; oculique nigelli,
Cui nondum exerti vnguiculi! Nunc viueret ille;
Et, laſſæ ætatis fulcrum, quoque viueret Abner,
Eheu, quem pariter lictor mihi ſuſtulit enſe!
Eheu me miſeram geminis lactentibus orbam!
Heu non poſſe mori, meque his exſoluere curis!
Cauſa mali tanti Puer ille. Hìc indice Ieſum
Lurida ſignabat; ſed clauſo gutture vocem
Edere non poterat. Nequicquam tempora quaſſans
Eluctatur iter, veluti qui faucibus arctis
Iuſto maiorem transmittere nititur eſcam
Tranſuerſam iugulo. Dumq; improba fingit acerbo
Se fletu nimio oppreſſam, nec poſſe loquelam
Exerere, & velo interea ſeſe arctiùs abdit
Intentos oculos metuens, (res fœda relatu!)
Paulatim rupto prodibant vtraque lino
Cornicula; emicuere ignes, & tempore eodem
Lubricus è ſoleâ pes fugit, equinaq; coram
Vngula ſubducta in ſolem teterrima venit.
Diriguere metu cunctæ; ſimul agmine facto
Terga dabant: tenuit Virgo, excuſſoq; pauore,
Obſcœnam vetulam certatim murmure magno
Sandalijs iactu alterno, ſaxisq; petitam
Turba puellarum inſequitur. Fugit illa, cauernamq;
Occupat: inde efflat graue olentem in limine fumum.
Quo ſocij haud longè tremefacti, in veſte latentes
Fœmineâ, falſos pueros, luctumq; parati
Inferre in medium; condictæ vbi fraudis inanem
Succeſſum videre, nemus ſubiere, nec auſi
Prodire in ſcenam: denſis in nubibus errant

Naza-

Nazareos colles circùm, vicinaque rura,
Ancipites quid agant, quò res, meditataq; vergant.
Ecce autem, poſtquam iam dudum Virgo penates
Intrarat, puraſque manus tendebat Olympo,
Fundens rite preces, ſtygij haud ignara pericli;
Ecce, inquam, foribus patefactis, nuncius Ales
Aſtitit ante oculos, roſeoque hæc ore locutus:
Diua poli, his Puerum, teque ocyùs eripe tectis:
Iordanisque ſacri pete ripas. Eſt ibi vallis,
Vmbriferumque in valle nemus, cui proxima rupes,
Atque in rupe domus. Tuus hæc ſylueſtria paruus
Antra nepos habitat, Præcurſor Numinis. Illuc
Protinus ire iubet ſuperûm Pater, atq; hominum
Rex;
Atque hæc ferre dedit celeres mandata per auras.
Surge age, clara priùs quàm ſolem proferat Eos.
Nam qualis quantusque cauo ſe carcere fudit
Turbo niger cœlum, terras, & tartara miſcens!
Dicere plura veror. Sic fatus, multa volentem
Poſcere deſeruit, tenuesque receſſit in auras.
Ocyùs illa ſequi cæleſtia iuſſa parabat,
Auroram expectans. Rutilis nitidiſſima ſtellis
Cernit adhuc conuexa poli: procul ignibus ardent
Tærarijs celſi montes; atque arua, lacusque
Et nemora, & montes nox obtegit alta tenebris.
At metuenda acies Erebi vecta aëre cæco
Ibat more gruum, totamque immanibus alis
Aſſyriam latè, atque Arabum deſerta tegebat;
Nulli viſa tamen, niſi felibus, armentisque,
Et canibus noctu ſine fine latrantibus, ore
Sublato aëria ad ſpectra, horribilesq; phalanges.
Ter lapſa ad terram nubes Cocytia, turmas
Exceptura nouas: nam paſſim è rupibus illis,
E nemorum latebris, è quercubus, atque cauernis
Corni-

Corniger egreſſi ſocij bella armaque poſcunt.
Noctes atque dies it flammeus æthere turbo
Horrendus, terriſque minans; latèque per omnes
Iudææ fines ſparſis ſe turbinat alis.
Donec ter circùm gyris ingentibus actus,
Ter rauco accitis ſocijs agreſtibus ore,
In montana Abarim præceps cadit; atq; ibi quotquot
Vallibus, & ſterili in ſabulo loca vaſta tenebant,
Accolæ Auernales occurrunt vndique Mormi,
Obſcœni Triptes, Aquili, Lamiæ, Eurinomique,
Lucifugique alij innumeri, & ſocia agmina iungũt.
Muſa, mihi infernas curas, miſeroſque labores,
Rixas, atque lues memora, erroreſque viarum,
Et ſtudia, & mores, inſanique orgia Ditis;
Quæque procul ratibus miris delata per auras
Extremis Aſiæ turba aduentarit ab oris:
Vtque ingens caſtris lis orta, vtque arma viciſſim
Conuerſa in ſocios; ac demum fœdere diro
Omnia compoſitis turbis ſedata quierint.
Mos eſt, igniferas quoties in bella cateruas
Tartarei eduxere duces, ſeu littore turmæ
Conſtiterint, ſeu deſertis in montibus, illic
Noctes atque dies exercere agmina campo,
Nec minimam laſſis vnquam indulgere quietem.
Ni faciant, aut hàc illac ſparſa æthere aberrent
Continuò, aut inter ſe ineant aſperrima bella;
Tanta animos rabies, furor, atque inſania verſat.
Ergo locuſtarum deſerta per auia ſummam
Principiò exigere, & rutæ, atq; hypericonis, erui,
Abſinthique omnis, cenſumque indicere arenæ.
Inde huc atque illuc transferre horrentia caſtra,
Per loca inacceſſa, abruptis aſperrima ſaxis;
Cætera diuerſis legio dum ſparſa per orbem

Paulatim coëat terris, præmiſſaque turba
Exploratorum redeat. Pulſum oſſibus albis
Tympanum equo præit horriſonum, ſonat vngula equorum
Plurima ponè ſequens; flammis ardentia lucent
Ad lunam Mathanæ deſerta, atq; ardua Moab
Regna, Edomitarum pendentiaque oppida ſaxis.
Ventum eſt ſemiruti pagi in magalia noctu.
Hic Satyrus Behemoth pedibus dum rudera verſat,
Legiferi Moſis cineres vbi fortè quierant,
Gramineo è ſaxo flamma improuiſa reluxit,
Hircinamque illi barbam, & crura hiſpida aduſſit;
Capripedeſque inter ſocios dum ſaltitat, ignem
Corripuere alij villis. Hinc excita primùm
Iniectis ſtimulis rabies; hinc triſte per agmen
Augurium, fractæ vires, penitusque medullis
Infixus dolor impatiens: tum ſulphuris atri
Addita proluuies alui, ſtranguria, cancri;
Vnde grauis labor atque exoſæ tædia lucis,
Inque duces varium murmur, dira omina belli.
Ergo, vbi prima polo ſurgens aurora refulſit,
(Ne mora iam cœptas intenderet acriùs iras)
Rurſum caſtra mouent petroſa per auia Maræ,
Moſis vbi iuſſu cortex demerſus in vndam
Terſit amaritiem ſtagni; nunc omnis Auernus
Ore bibit ſalſos latices, & flumina turbat.
Atque hîc, intento rictu dum ſingula luſtrant,
Calceus in ripâ niger & vetus Iſmaelitæ
Inuentus, ſoleis longo iam tempore adeſis;
Quem circunfuſis roſtris dum Dæmones atri
Naribus olfaciunt, & morſum dentibus inter-
ſe rapiuntque trahuntq;, Bauum Phegor ore momordit:
Gruniit ille, nigroque armo Babuelis inhæſit,
Atque

Atque is reſtituit morſum Zabulo, iſte Molorcho.
Hinc iterum furor, & rabies, & ſtridor ad aſtra
Excitus horribilis, veluti cùm exorta canum lis
In triuio, aut ſtridens nexo pede protrahitur ſus.
Cornibus infeſtis concurritur vndique, fumum
In faciem, piceosque ignes ſibi mutuò inhalant:
Hic ruit ex alto præceps, hunc ille veruto
Traiectum, impoſitumque humeris rapit: ille ſub alto
Infoditur ſabulo: Hinc Babel, hinc Euphius, inde
Per medias turbas Belial, nec non Meluſina
Strix anus, & proceres alij compeſcere dictis,
Fuſtibus, & quernis palis certamina ſæua
Conantur medij. Furijs exercitus amens,
Horrendùm ſtridens, montes ſeceſſit in altos;
Diſſidiumque ingens oritur. Pars plurima bellum
Detrectare palàm, niſi dux regat arbiter agmen
Humanâ de gente ſatus: nil viribus Orcum
Poſſe ſuis, atque acceptis id cladibus olim
Compertum toties: quidquid feliciter actum
Flagitijs hominum referunt. Pars altera contra
Abnuere inuiſum genus, euentusque ſiniſtros
Mortali pariter toties ſub principe fœdos
Obijcere: Hæc teſtis rupes, hæc conſcia ſaxa,
Hoc ipſo, aiebant, nos quondam in monte fefellit
Sacrificus Balaam. Caſtra execrarier olim
Iſacidum iuſſus, vates nequiſſimus ante
Conſuluit cæli Numen; dehinc proditor ore
Fatidico cecinit Sydus fatale oriturum
Abramidum populis. Hoc ſydus deinde ſereno
Oſtenſum cœlo Solymæa in regna ſequuntur
Memnonij Reges: Confeſtim hos perdere letho
Herodi ſumus auctores: ille vrbe, domoque
Excipit: Infantis quin & cunabula demens
Indi-

Indicat. Eluſis votis, ferro ocyùs ire
In puerum hortamur; fit ſtrages, vndique terror,
Ira, pauor, luctus: medijs è millibus vnus
Interea impunè elapſus ſubterfugit hoſtis.
Proh ſcelus! Et quiſquam tantarum credere rerum
Periuro generi, infido, totiesque rebelli
Nunc ſummam velit? Hæc illi. Tantò acriùs ira
Æſtuat. Hinc atq; hinc mens, & ſententia conſtans,
Obnixique animi ſtudijs diſcordibus. Et iam
Indomiti, infrænes, nec paſſi excedere caſtris,
Nec tolerare moras, in mutua fata ruebant,
Tartaream aggreſſi litem decernere campo.
Ecce autem (horrendum viſu, & mirabile monſtrum!)
Ecce, inquam, obſcuro in nimbo procul æthere viſi
Veliferi ingentes gauli, centumq; triremes
Aëriæ, innumeræque rates, cymbæque minores,
Informes cattæ, lintres, piceique phaſeli;
Claſſis ab eois quæ formidabilis Indis
Soluerat. Huc Sinæ, & Bactra, & Malabarica regna
Tranſtulerant rictus varios, & ſpectra Deorum
Innumera. Illa rotis ſe circinat aëre magnis,
Paulatim ad terras ſpiris ingentibus acta.
Vela alij antennis religant, carcheſia ſumma
Aſcendunt alij; fragor vndique nauticus, atque hàc,
Atque illac per tranſtra vltro citroque celeuſtæ
Nuda in terga ſonant ſcuticis. In puppibus altis
Reginæ apparent, fuluo quibus omnibus ora
Sparſa vitro, caliendra argentea, vinctaque taxo
Tempora inauratis folijs, ſpartoque ligati
Horrendum in morem ſummâ ceruice capilli.
Mox, vbi demiſſæ terras tetigere carinæ,
Continuò immanes volucres, animalia, cephi
Exiluere cauis ratibus, Fauni, Satyriſci,
Semi-

Semihomineſque canes, & tortis cornibus hirci,
Dorcades, omnigenumque Deûm ſine nomine turba.
Has inter facies varias regina (a) Amilida
(Iapones appellant contracto nomine Amidam)
Sparſa comas, nigro vehitur pulcherrima capro
Per medias turbas: quàq; infert ardua greſſum,
Armigero obſequio vexilla haſtasque phalanges
Subijciunt. Stetit illa graui imperterrita vultu,
Hinc atq; hinc geminas aduerſo in monte cateruas
Nunc has, nunc illas auerſo lumine luſtrans:
Et quæ vos, inquit, mentis veſania cæcas
In furias agit, o miſeri? Hoc erat, hoccine bellum?
Huc ſocias tulimus vires? hæc fœdera nuper?
Hæc iurata fides? in nos condiximus arma?
Plagiferi, ambuſti torres, per numina Ditis
Horrendi, infernumque Chaos, diſcordibus vltro
Exitium commune fero. Concurrite vtrinque,
Pergite, io, ſedeo ſpectatrix, tertia Erinnys
Ex æquo ambobus cladem allatura, ſceleſti,
Viribus vna meis par bello. His territa dictis
Lucifugûm mens verſa: animis ſubſidere ſenſim
Irarum fluctus: ſummis de rupibus acti,
Viſendi ſtudio in mediam deſcendere vallem.
Molliùs illa animos verbis lenire feroces,
Hortariq: omnes, dum tempus, dum vacat, & res
Integra adhuc, numerusq; auctus, ſpem ponere in armis:
Arbitriumque ſibi poſcit, quo fœdera certis
Legibus inſtituat, dirimatque obſtacula belli.
Hic epulæ inſtructæ; atq; inter carcheſia magna,
Obſcœnasq; dapes, & ferrea pocula, tandem,
Conſilio ducis, & procerum, iuſſuque Amilidæ,
Lis

(a) *Dæmon repræſentans Idololatriam.*

Lis ita compoſita: Vt primùm diſcrimina Martis,
Principe ſub Stygio, collectis viribus, omnes
Concordes ineant: ſin verò proſpera pugnę
Sors minùs acciderit, nec ſoli obſiſtere poſſint;
Tunc aliquis demum mortali è ſanguine cretus,
Fœdere coniuncto, belli moderetur habenas,
Succedatque oneri. Clamorem ad ſydera tollunt
Aſſenſu vnanimes cuncti. Ter flumine ſalſo,
Et pice liquenti, ter plumbo & ſulphure regi
Inferno libant, ter nigri felle veneni.
Tum choreæ enormes. Quatuor cacodæmones, orbi
Lumine vtroque, hirſuto pectine, pegmate ab alto
Sambucas chordis grauioribus, & monochorda
Vnanimes feriunt. Pedibus tremit icta biſulcis,
Saltibus horrificis tellus: vlulatibus antra,
Vmbroſæque ſonant valles. Væ, turba Acherontis!
Væ tibi, vulgus iners! væ, nigra examina Ditis!
Tot ſtrepitus, tot ſpectra Erebi quò denique vergant
Expecto. Iuuat hanc animis modò tergere nubem,
Atq; meum ſydus, nitidumque reuiſere ſolem,
Quem dudum haud video nebulis incluſus opacis,
Vixque adeò intueor, fuligine plenus, & vmbris.

HI-

LIBER QVARTVS.

ARGUMENTUM.

Deipara cum Puero in vallem Ænonis ad Diuum Ioannem Baptiſtam proficiſcitur. In itinere leoni ſitienti aquam è puteo haurit. Puella montana amore IESV capta, eidem ferre oſculum à Virgine Matre impetrat; eiuſque iuſſu in fonte ſe intuens, mutatam ſibi faciem, eamque pulcherrimam ſtupet. Angelus in ſinum Abraha nuncius ad Patres mittitur.

ERgo in valle procul dum talia præparat Orcus,
Parthenis interea exierat ſub luminis ortum
Nazareo è pago, paruum viſura nepotem
Eliſabe natum; cui ſummam, arcanaque rerum
Secretis Puer alloquijs committere, nondum
Nota genitrici, decreuerat. Hæc tamen olim,
Poſt caſus, variosque metus, durosque labores,
Euenient. Nunc vnà ambo, per iniqua locorum
Et ſteriles ſaltus, (vt nuper iuſſerat Ales)
Quà via per ſcopulos, greſſum in deſerta ferebant.
Eſt prope Iordanem nemoroſa & inhoſpita vallis,
Zacharidæ ſtatio pueri, quem cernere nulli,
Scrutarique datum: quodque admirabile dictu,
Illius in totâ reſonabat vocula eremo,
Exigui in morem litui, argentique canori.

Cæteraq: acta metu ſubiere animalia ſyluas.
Nulla magis memor officij fera, nulla ſalute
Gratior acceptâ; Vſque adeò benefacta feroces
Submittunt animos. Iam ſaltum euaſerat omnem
Nazaris: ecce autem retro conuerſa iubatum
Miratur comitem veſtigia ponè ſequentem.
Perge, aït, in ſyluam, perge, inquam; iterumque morantem
Supploſo increpuit pede terrens, bisque niuales
Percuſſit palmas. Ille ægrè in tecta redibat,
Inſtar ouis gradiens placidæ, timidique catelli;
Mœrenti ſimilis, quòd non, pro munere tali,
Par quidquam obſequio, meritoque reponere poſſet.
Hinc via per lucum vmbriferum, quæ ducit ad amnem
Caſtaneis nemoroſa ſolo fruticantibus, arctos
Conciſa in calles: folia arida deflua ramis
Terram augent intermixtis paſſim aſpera echinis.
Hàc iter implexum per opaca vmbracula agebant
Mæandro inflexo, varijsque ambagibus acti,
Et prior extricans dumos, ramosque coërcens
Sedula, per callem exiguum bona Virgo præibat:
Cùm denſos inter vepres pulcherrimus Infans,
Cui Matris dolor, atq; exercita cura parumper,
Et tenera anxietas, fletusq; placebat amantis;
Populeâ furtim ſeſe occultauit in vmbrâ.
Illa tamen cœptos ſermones neſcia fraudis
Vſque ſequebatur, ventis verba irrita iactans.
Ah miſera! vt vertit ſeſe, nec vidit; vt omnis
Extemplo fugit præcordia in intima ſanguis!
Iamque adeò lacrymans implebat cuncta querelis,
Pallidior buxo, luſtrabatq; omnia circùm:
Cùm media erumpens inter lamenta Puellus
Ex improuiſo coram ſtetit. Ah! meus infans,

Quàm penè exanimis rigui! Amiſiſſe putaram.
Sic ait, arripuitque manu niue frigidiore:
Pectora adhuc gelido ſaliunt concuſſa timore.
Multa hic prætereo, quæ ſi memorare canendo
Cuncta velim, diuerſa nimis mihi carmina aberrent.
Rem tamen obſcuramâ famiuuat ordine totam
Eruere in lucem, & ſeris committere ſeclis,
Si quis honos muſis poſt longum acceſſerit æuum:
Vnde queant olim ſylueſtres diſcere Nymphæ,
Simplicitas quàm cara Deo, quàm grataque Diuis
A teneris exacta annis ſine labe iuuenta.
Iam medium ferme ſol conſcenſurus Olympum
Hortabatur equos, & fræna reſoluerat aurea;
Cum Maria, & pulcher Ieſus deſerta per arua,
Thaboris ad læuam frondoſo colle relicto,
Tranſierant vitreum, quà glarea ſicca, Ciſonem.
Iamque propinquabant Sunæ, quæ vertice in alto
Eminet aërij collis, cui paſcua circùm,
Et longo nemorum tractu iuga conſita oliuis.
Hic capreas inter tondentes gramina vallis
Inuenere bonam ſuccinctâ in veſte puellam,
Vecte duas tereti ac lento quæ fortè gerebat
Fagineas humeris ſitulas, & vertice plenam
Lacte vrnam tepido, cui læuam admouerat; ore
Illa quidem fuſco, nam dudum exercita campis
Sole ſub æſtiuo; at ſimplex, & candida, nec dum
Saucia amore vllo, quanquam tres circiter annos
Iam tribus addiderat luſtris. Hæc, numine viſo,
Quo non in terris puer vnquam pulchrior vllis
Ore fuit, qualem nequicquam fingere ceris
Cinnabari ad viuum Lucenſis cura laboret,
Cæleſti exarſit flammâ correpta repentè,
Atque ſui, atque oblita gregis, ſic ore locuta:
O ma-

O mater, quò pulchrum adeò per iniqua viarum
Delicium trahis, heu, Titan dum flammeus axe
Saxa coquit, flagratque dies feruentibus horis?
Haud procul hinc mihi parua domus: ſecedito ad vmbram
Pauliſper, donec cæli deſæuiat ardor,
Adſpiretq; breuì quæ temperat aura calorem.
O quam te memorem? Dic ò quibus aduena ab oris?
Quid tantum potuit vallis deſerta mereri?
Nam puto te Solymis natam, quàm fors mala nostris
Errantem impulerit terris; non iſta puellas
Fert ſiquidem regio tales, nec paruulus iſte
Agreſti de rure venit. Tum regia Virgo
More ſuo arridens, riſu quo cuncta ſerenat,
Quoue genis accedit honos, visque aurea dictis;
O gnata, ò noſtros, inquit, miſerata labores,
Quæ tibi pro meritis, paupercula & ipſa, referre
Dona queam? Siquidem nobis quoq; parua ſupellex,
Aſſuetæq; manus calathis; atq; hìc bonus infans,
Qui mecum graditur, ſortem fert æquus eandem.
Nazarides ſumus: Ænonis niſi diſſita vallis,
Quam petimus, celerare gradum, ſolemq; præire
Cogeret, haud equidem (tanta eſt tibi gratia fandi)
Hoſpitium abnuerem. Hìc ſtudio queribunda puella
Extenuare viam, digitoque oſtendere colles,
Vicinumque amnem, & multum ſupereſſe diei.
Quanquam etiam noctem ſi fas traducere noſtris
Montanis laribus, non pauperis, inquit, agelli
Munera, quinctiles vuæ, melimelaq; deerunt,
Atq; olera, & poma, & folijs ſuffultus acernis
Lectulus; & quidquid locus aſper, & inuida votis
Pauperies tulerit. Dein ſubdidit, vt prope ſyluam
Iordanis, nulli deprenſa huc vſque, per auras

Vox incerta ſonet, ſcopuliſq; & montibus erret.
Multi illam ſtudio nequicquam, atq; aure ſecuti
Sæpius amnicolæ; multos per deuia traxit,
Implicuitque error. Sed non his Diua moueri,
Nec comitem velle; & manibus retinere ſequacem,
Ac vultu officioſa bono lenire dolentem,
Seq; breui reducem multis promittere. At illa
Obſequio precibusq; moras innectere: Saltem
Vicinum liceat tecum conſcendere montem,
Vnde, ait, anguſtum callem, flexusque viarum
Oſtendam, paucis compendia nota: meisque
Interea, ſupplex oro te quæſo, parumper
Filiolum committe vlnis, qui iam nequit vltra
Exiguos paſſus trahere inter ſaxa. Nec iſtud
Diua tulit, varijsque modis fallebat amantem,
Quam nullis poterat procul inde auellere dictis.
At ſaltem, aiebat, ſaltem ne deſpice lactis
Laſſà viæ exiguum, quod fas mihi porgere, donum:
Ipſa manu expreſſi nuper. Simul hæc, ſimul vrnam,
Et ſitulas poſuit, merſitque in lacte ſalignam,
Eduxitq; grauem pateram, quam Virgo prehendit,
Admouitque labris Pueri; tum nectaris hauſit
Quod reliquum fuerat: nec, rurſum vt ſumeret, vllę
Obtinuere preces. Rurſum inſtaurare querelas,
Rurſum inopes offerre lares. Sed denique victa
Non tenuit lacrymas; atq; vtraq; brachia tendens,
Mater, ait, quando famulam comitemq; recuſas,
Nec te aliàs reducem fortè vnquam laſſa reuiſam;
Per te, per ſuperos, perque hæc gemina vbera, pulcher
Quæ Puer hic quondam preſſit; permitte puello
Suauiolum libare tuo: nil poſcimus vltra.
Quid non virgineus candor, moresq; pudici,
Ingenuusque amor, & ſimplex audacia poſſint?

Nam

Nam meruit felix (quod non permiſerat vlli
Cælica ſors) vnum labris, duo ferre tenellis
Oſcula pura genis. Tum candida Parthenis: I nunc,
Sisq; memor noſtri. Procul hinc ſcatet exiguus fons:
Quamprimùm inuenies, pecora illuc cogito: poſtquam
Grex omnis biberit, vitreâ te conſpice in vndâ.
Dixit, & in viridem collem veſtigia torſit;
In collem, vnde amnis longas nemus inter opacum,
Cernitur ire vias, & amœnâ ſerpere valle.
Multa mouens animis ibat quoque ruſtica virgo,
Fragrantemque viâ redolentis aromatis auram
Attonita hauribat; qualem violaria nulla,
Nec roſa, nec ſaliunca recens, nec amaracus halant.
Vnde odor hic mirus? quę vis? quæ copia florum?
Conſtitit explorans veſtes, & ſingula mirans
Ter circumſpexit; patulis ter naribus ambas
Admouitque manus: ſed quis deprenderet vnquam?
Quippe labris fragrans ille hæſerat halitus; illis,
Queis tria Nazario nuper dedit oſcula Flori.
Venit ad vmbroſam platanū, quam ſubter opacus
Alluerat riuus: riuum obſedere capellæ
Continuò, ſaturiq; hædi: atq;, vbi pura quieuit
Lympha vitro ſimilis, ſuper aſtans vertice prono
Se liquido in ſpeculo vidit; deceptaque viſu
Reſtitit extemplo. Vix primùm credidit vndę:
Lumina bis vertit retro, ſi fortè puella
A tergo peregrina foret, quæ inſiſteret amni:
Bis merſit furtiua manum, ſi fortè ſub vndis
Altera virgo foret, ſtagno quæ pulchra lateret.
Non erat illa prior. Dictu res mira! capillos;
Ora, genas, vultus ſpeciem mutauerat omnem.
Nympha videbatur, quales finxere poëtæ
Corycias diuas nemorum, armigeramq; Dianam.

Ipſa ſuum, agreſti quamuis, tibi commodat Anna
Auria, Pamphyliæ gentis decus; ipſa vocari
Pamphyliam ſinit, & patrio cognomine donat.
Tuque, genus claro Heroum de ſanguine ducens,
Syluestris meritum ne dedignare puellæ:
Namque hic antiquus mos cunctis vatibus, æuum
Aduersùs ferrugineum immortalibus vti
Nominibus, quoties Muſis gentilia deſunt.
Nec mihi fas modò (nam properant iam proxima metæ
Carmina) longæui cauſas euoluere iuris.
Eſt tibi Romuleo in Pindo (a) germanus Apollo,
Cui cithara, & Tyrio fulgentes murice vittæ;
Illius ergo ſoror, pariterque Liguſtica Phœbe
Magna Quirinali ſcitare oracula colle:
Vatibus ille præeſt ſacris, atque iſta docebit.
Talibus illecebris blandiſſima Virgo ſolebat
Iam tunc illa ſuos felices reddere amantes;
Quò nos extimulet pariter diuina cupido,
Exilijque moram fallat ſpes alma fruendi.
Nam, ſi quando domos feſſis det adire beatas
(Spero equidem) Puer ille Deus, quem reddere cantu
Præſentem, vt poſſum, cæcâ in regione laboro;
Quanta erit illa animis exundans dia voluptas
Cum Genitrice tuâ, & tecum, pulcherrime rerum,
Per magni ſtellata poli conuexa vagari,
Et reputare annos, atque immortalia luſtra,
Æternùmque illic obeunda expendere ſecla!
Quàm vobis, ſuperi, inuideo! vobisque, tenelli
Lactentes, Libitina manu quos vellit acerbos,
Vt ferrugineas violas, vt perſica nata

C 5 Pri-

(a) *Bened. Pamphylius S. R. E. Card.*

Paruus eremicola ad fluuium decurrere anhelus,
Lætitiâ exultans; cui villis hirta cameli
Tergum pellis obit, ſunt cruſcula nuda, lacertiq;,
Et parua in manibus crux lignea nexa papyro.
Iamque aderat curſu exhauſtus, greſſusq; tenere
Per decliuia vix poterat, tenuitque ruentem
Parthenis ipſa vlnis, gremioq; amplexa recepit.
Vnà omnes pariter viridem conſcendere collem.
Hinc IESUM, hinc tenerum Virgo trahis alma nepotem,
Speluncamque ſubis. Intus ſcabra pumice tecta,
Exiguusque ſonat riuus: circùm humida tophis
Saxa madent vitreis guttis: cras ire ſecundo
Vnanimes Iordane parant, dehinc veſpere colles
Circùm ire vmbriferos; perq; herbida prata vagari
Condicunt. Nunc ſomnus adeſt, quem confraga vallis
Conciliat, paſſimque altis de rupibus acti
In præceps riui. Tacitis it Cynthia bigis
Picta vadis latè ſtagnantibus: illius altis
Clara interlucent argentea lumina ramis.
Atq; his delicijs placidâ dum nocte fruuntur,
Abrahami interea ſub terris abdita regna
Nuncius ætherius cælo delapſus adibat,
Captiuis Patribus ſummi mandata Parentis
Læta ferens. Vrbs antiquis circumdata muris
Imâ in valle iacet; quam primus dicitur (a) hoſpes
Abeliam dixiſſe ſuo de nomine, cæſus
Inuidiâ fratris. Turres, & tecta domorum
Prætexunt ederæ & myrti, ſemperq; virentes
Intonſæ pinus, oleæq; æternaq; laurus.
Aëre ſed triſti lux intermortua fulget,

(a) *Abel.*

Diuini Pueri, atque auræ cæleſtis amore.
Præcipuè Infantum, quos primo in limine vitæ,
Regis Idumæi iuſſu, ferus hauſerat enſis,
Flebant exigui manes, vmbræque puſillæ:
Quos circunfuſos diuellere dulcibus Ales
Promiſſis, dictiſque bonis retinere laborat.
Parcite lacrymulis nunc ò, mea cura, puelli:
Vos ego, deliciæ, & miſeræ Racheiis amores,
(Haud mora longa) iterum regna hæc antiqua,
reuiſens
In lucem referam, & ſocios, comiteſque beatis
Cælicolis addam, cùm ſe pulcherrimus Infans
Nazareis tandem manifeſto Numine reddet.
Sic ait. At læti proaui, ſanctique parentes
Virginis, ingreſſi latebroſæ viſcera terræ,
Multa patrum, & turbæ inſontis mandata Puello,
Votaque commiſſa, & gemitus lacrymaſque,
ferentes,
Exuuijs vincti & manicis ſqualentibus ibant.
Ventum eſt poſt flexus varios in luminis auram,
Quà diues campis vitreo lentiſſimus alueo
It Phiſon, ſyluæq; lacum, monteſque coronant.
Hinc iter ingreſſos, aduerſo flumine, eoum
Ad ſolem ductor veſtigia tendere iuſſit.
Ipſe pios manes vario ſermone tenebat,
Multa arcana docens; nimirum vt prodere ſeſe
Diuino fulgore Puer decreuerit almus
Mœrenti patriæ, vt frendens nequiſſimus, atris
Carceribus ruptis, totoq; Acheronte refuſo,
Præſagus magni excidij proruperit Orcus;
Vtque olim ventura dies, quæ cuncta tenebris
Obſita paulatim demum caligine ſoluet.
Quàm latè, aiebat, populis atque vrbibus ingens
Vndiq; telluris nunc circumfunditur orbis,
Oca-

Carnifices laſſos certatim, ſole cadente,
(Dum finit vſque dies) ſupponere colla ſecuri,
Adiungiq; alijs. O mors, vbi terror? vbi illa
Formidata acies ferri, veteresque triumphi?
At veluti niuibus tectus, gelidisque pruinis
Vere nouo pubeſcit ager, ſeq; exerit annus
Lætior; haud aliter ſæua inter funera vultus
Alma fides tollet. Scythicis floreſcere eremis,
Thebanisq; iugis deſerta horrentia cerno.
Ille feras, poſito ingenio, manſueſcere coget:
Hic mare fluctiſonum ſibi remex, atque carina
Sulcabit medium: hic nimbos, hic flumina ſiſtet.
Illyrium, Eurotas, Portus Lunæ, ardua Lygdos,
Et Phrygij, & Parij montes vix marmora templis
Sufficient. Venient annis quoque tempora ſeris
Cùm ſuper oceanum, quò nondum acceſſerit auri,
Regnandique furor, felicia carbaſa tendet
Relligio. Iacet extra orbem ſine nomine (a) tellus
Exul adhuc ponto, vnde auro ſuper illita primo
Auguſtæ niteant Romana (b) Sacraria Diuæ.
Quin etiam extremos ſuperabit puppibus Afros,
Littora curua legens, iubar allatura remotis
Gentibus, inque omnes ſonus ibit cælicus oras.
Talia narrantem dextrâ, læuâq; frequentum
Circumſtat populus Patrum, comitesq; ſequuntur;
Ignari, alatus ductor quas tendat in oras,
Quòue ferat; pariterque viam curſumque tenebant.

LI-

(a) *Peruuium.* (b) *Templum S. Mariæ Maioris.*

LIBER QVINTVS.

ARGUMENTUM.

Aues tartareæ Virginem in valle cum D. Ioanne Baptiſta obſeruant, idque in caſtris nunciant, & bellum ſollicitant. Deus Pater Angelo mandat, vt cæleſtem Puerum cum Genitrice in Paradiſum terreſtrem tranſuehat. Iuditha in ſomnis ab Angelis armatur aduersùs hoſtes. Deſcribitur iter aëreum in terreſtre Elyſium, & clades Dæmonum in valle Ænonis.

REM prope cæleſtem ſi cui ſpectare voluptas,
Huc celer approperet, Reginamque ætheris illâ
Floriferâ in valle aſpiciat, quæ colligit herbas.
En, niueos ſuccincta ſinus intenta labori,
Vt ſeſe inclinat paſſim, quà primula viſa,
Aut viſus crocus, aut apium; tenerumq; nepotem,
Qui comes ingreditur, propiùs dignoſcere anethum,
Fragrantemq; docet thymbram, montanaq; fraga.
Ocyùs accelerate gradum, nil pulchrius vnquam
In terris viſum: viridem hunc aſcendite collem:
Huc oculos, donec pulcherrima durat imago.
Heu cur tam ſubitò ſpecies diuina receſſit!
Heu gremio redit in penetralia diues onuſto!

Nam

Nam veſpertinis iam rorant gramina gemmis,
Atq; humiles circùm nebulæ prata humida opacant.
Sit malè præcipiti noċti, quæ ſole remoto
Talia nil curans mihi ſurripit inuida velo.
Ecce autem excelſo in ramo Cocytia cornix
Conſtiterat, fœdusque corax, quas vndique ſæuus
Sparſerat excubias duċtor, vigilesque locarat.
Vt verò incolumem Diuam agnouere volucres
Tartareæ è pratis reducem, intrantemq; penates;
Protinus inſonuere alis: Acheruſia caſtra
Deſertis adiere locis, raucùmq; locutæ
Nubiuagûm in vulgus quæ nuper viſa tulere.
Nec minùs interea demiſſo vertice triſtes
Exploratores lemures, quorum improbus vnus
Obſcœnæ in ſpeciem vetulæ iam liquerat auras,
Nazario è pago deluſi in caſtra redibant:
Et malè rem geſtam, atq; ædes, patriamq; reliċtam,
Sublatumq; fugâ Puerum cum Matre ferebant.
Diditur extemplo rumor, fragor vndiq;, & ingens
Concurſus ſtygius picea ad tentoria regum:
Bella volunt, poſcuntq; feri: Nunc tempus inermes
Prædari incluſos latebris; nunc, ſiquid Olympus
Contra auſit, tentare iuuat. Pars nubila denſat,
Horrificumq; ferit nimbum, pars nititur haſtis,
Pars ferrugineis contis. Vox omnibus vna
In vallem Ænonis transferre horrentia caſtra,
Et celerare viam nimbis: nemore abditi opaco
Concilium inter ſe proceres de rebus agebant.
Hæc Pater omnipotens cernens de vertice Olympi,
Impia bella manu ſtatuit deludere inermi;
Sed Puerum interea, diuâ cum Matre, per auras
Trans Orbem profugum Paradiſi abſcondere in hortis,

Inter

Inter amœna iubet prata, æternosq; receſſus.
Ergo ad ſe Genium Mariæ vocat, atque ita fatur.
Vade age, ſydereo in terras delabere curru,
Progeniemq; meam cum Virgine, præpete nimbo,
Transfer in Elyſij terreſtris protinus agros,
Quò Pàtrum Abramidũ nuper præmiſimus agmen:
Atque illic lateant, donec deſæuiat atri
Tempeſtas belli. Socios quoque valle receptos,
Quiſque ſuâ vt maneat vigil in ſtatione, moneto.
Atque vbi concordes hoſtes temeraria bella
Excierint, vos hanc terris auertite peſtem,
Ne ſolem vlteriùs, puramq; obnubilet auram.
Dux vobis imbellis erit virguncula: tali
Fas duce perculſos probro exturbare ſuperbos.
Sic ait Omnipotens; nec fas mortalibus alta
Scrutari arbitria, & cauſas tentare repoſtas.
Credibile eſt tamen humani voluiſſe timoris
Indicio Numen fugitiuum abſcondere Diti,
Ne Pueri vires, diuina arcanaque noſſet:
Credibile eſt etiam veteris voluiſſe parentis
Regna aperire nouo, nulli viſa hactenus, Adæ;
Quæ prior ille miſer ſpecie deluſus inani
(Cauſa mali coniux) æterno clauſerat æuo.
Nuncius ergo Ales per opaca ſilentia rerum,
Ætherijs bigis cæli per inania vectus,
Ante ortum ſolis, Libano ſuper aſtitit; atq; hinc
Alipedes flexit vitrei Iordanis ad vndam,
Zacharidæ ſub tecta, procul ſonuitq; flagello:
Primaq; Virgo Parens, dudum vigil, ora feneſtris
Exeruit; ſed adhuc Pueros ſopor altus habebat,
Fagineas inter frondes, muſcoſaque ſaxa.
At tibi, fortunate Ales, penetrale ſubire
Arcanum licuit, placidoſque abrumpere ſomnos:
Surge, age, ſancte Puer; Genitor ſupremus ab alto
Me

Me tibi demittit ſolio: procul ocyùs ire
Teque, tuamque iubet Genitricem: dux ego curru
Sublimes ducam liquido aëre. Sic ait; exin
Protinus accelerare fugam: pulcherrima Virgo
Induere inueſtem Ieſum. Dux penniger inſtat,
Itq; reditq; inſtar ſuccincti ad munus ephebi:
Ipſe etiam impatiens ſonipes fodit vngulâ arenam
Ante fores, phaleræque ſonant, atque aurea fræna.
Et iam purpureo lux prima rubebat eoo,
Agricolis ſolem reuehens, opera, atque labores.
Iamque inſtaurati ſomno, ſtratisque relictis,
Nazarij agreſtes, pars pinguia in arua iuuencos,
Pars ad aratra boues, ſtridentia plauſtraque agebant.
Hos inter Iuditha oculos, nondum excita prorſus,
Tergit adhuc niueis digitis; ſimul aurea vittis
Tempora cingebat, ſimul hæc inſomnia pulchra
Narrabat Matri: Mater, quæ mira per vmbram
Hæc mihi nox tulit in ſomnis ſpectacula rerum!
Quam ſe cæleſti Maria obtulit obuia veſte!
Qui capitis decor, & cultus! qui greſſus eunti!
Illa mihi in prato, tercentum viſa puellas
Inter, virginei moderatrix agminis, album
Vexillum præferre manu: meque illa ſequacem
Vltro inuitabat dictis. Vin' tu quoq; noſtro
Adiungi, Iuditha, choro? pariterque referri
Has inter comites Diuas, quas vndique campis
Concordes errare vides? Sic illa ſerenis
Dicere viſa modis: cui, miro concita amore,
Aſſenſu ardebam tacito dare nomen, & ipſo
Vox erat in vultu: at conanti reddere voces
Verba pudor tenuit. Caſtis tunc oſcula labris,
Amplexusq; dedit; primamq; recenſuit inter
Belligeras ſocias. Dextrâ læuâque volucres

Protinus armigeri, hic chlamydem, cui candida lino
Crux medio inſerta; hic torquem, galeamque comantem
Ferre videbatur. Viſus quoque Ieſulus ore
Sic fari roſeo: Noſtros hinc ſtrenua in hoſtes
Bellatrix hæc arma geres. Nec plura locutus:
Nam ſubitò (viſu mirabile!) currus ab alto
Aſtitit ante oculos, radijs, atq; axe rotarum
Ex auro, gemmisq; hyali, ſtellisque coruſcans.
(Me miſeram!) ſomnus media inter talia fugit:
Nec ſibi quid poſcant hæc arma, aut prælia noui.
Talia flauicomo religans ſibi vertice crines
Intortos ſpiris referebat ſomnia Iudith.
Interea ſuper Euphratem, Tigrimq; ſonantem
Penniger auriga, ad ſolis cunabula verſo
Temone, auratos currus per inania agebat.
Non ita cæruleam Libycus rapit æthere nubem;
Aut mare veliuolum tanto ſecat impete pinus,
Cui Notus incubuit; nec Belgica ruſtica ferreis
Ocyor it ſoleis glaciato miſſilis amne,
Horriferæ Scaldim cùm vis gelat aſpera brumæ:
Quantus agit profugos liquidi per inania cæli
Impetus, aërij trans ardua nubila Olympi.
Perpetuo flexu ſyluas, & flumina magna
Abſcondunt. Turres, atque altæ mœnia Suſæ,
Nembrotiq; arces, frondoſaque culmina Zagri
Prætereunt. Nemoroſi aditus, fauceſque malignę
Apparent, vbi quondam haſtâ traiectus equeſtri
Ille dabit meritas pœnas, terrasque leuabit
Sacrilegus Cæſar fidei deſertor auitæ.
Hinc ſuper Eulæum, Hippophagos, Arachoſiaque arua,

Carma-

Carmanoſque volant: ad læuam Caſpia tellus,
Atque pharetrati Medi, Hyrcanique recedunt.
Iamque peragrarant Perſas, iamque vltima regna
Memnonis eoi; cùm primùm lenior aura
Sentiri procul è cedris gratiſſima cœpit;
Qualem è longinquo nautis venientibus afflant
Ad mare odoratis Ligurum nemora aurea citris!
Mox paradiſiacæ volucres per cærula viſæ,
Nunciæ ab Elyſijs hortis. Non India tales,
Nec varijs pennis tot diues America veſtit
Purpureis roſtris, minioque rubentibus alis.
Miratur, capiturque locis tener incola eremi,
Quem pariter curru Virgo miſerata locarat.
Hæccine Nazaridum regio, inquit, auitaq; tellus?
O Mater, quàm lætus ager! quæ copia rerum!
Quæ nemora & vitrei fontes! Cui candida Virgo
Diſſimulans: Equidem longè iſta beatior ora
Quàm tua rura, inquit; nebulæ queis ſemper
opacæ,
Et circunfuſis ſtagnis grauis incubat aër.
Ille autem geſtire animis, vt geſtijt aluo
Quondam maternâ, atq; oculis per cuncta vagari,
Et digitis nunc hæc, nunc illa oſtendere paruis.
Interea magis atque magis ſubſidere currus:
Præcipites cælo bijugos ſed parciùs Ales
Accelerabat agens ſtimulis, quò tota videri
Iam regio ex alto poſſet ditiſſima pomis
Arboribusq; ſacris, liquidisq; vberrima venis.
Non vlla Italiæ facies, non âmne quieto
Quam placidus ſecat Eridanus; nec lætior illa
Ante alias Laudenſis agri, cui pinguia lactat
Paſcua tot mammis quot plenis Addua riuis:
Addua Lemene ſacris celeberrima Muſis,
Qui cecinit magnum Numen, felicibus auſis
Arcana

Arcana ingreſſus Diuûm; dehinc terna roſarum
Nexuit ætheriæ ſerta immortalia Diuæ;
Quique animos nobis audendi talia vates
Adiecit, ſuaſitque ratem deducere in altum,
Quà via Pierijs nondum ſulcata carinis.
Perpetui in gyrum montes felicia rura
Verticibus vallant, quorum vix ſumma viator
In iuga biſſeptem perreptet ſolibus; inde
Vmbriſera atque ingens vallis, rurſumq; minaces
In gyrum ductæ cautes; atque inter vtrumque
It vallum medius lacus ingens. Plurima pinus,
Æſculus, & nunquam caua robora paſſa ſecurim,
Se viridi è ripa vitreo ſpeculantur in amne,
Perpetuiſque ſonant auium garritibus vndæ;
Quas fulicæ aſſuetæ ſyluis, mergique loquaces,
Aſſiduoque anates tranant hinc inde volatu.
Ad Boream pons marmoreus, cui molibus altis
Quinquaginta arcus ſubterlabentia ſtagna
Excipiunt; verſoque ſitu longiſſimus vndâ
Excurrit pictus ſub opaco gurgite fornix.
Nulli fas hominum vetitos contingere fines:
Stat Cuſtos ferro armatus, noctelq; dieſque
Excubias ducit, commiſſaque limina ſeruat.
Atque hàc tranſibat prono iam veſpere currus,
Per magni conuexa ſonans ſaxa ardua pontis;
Exciſoſque aditus aduersâ in rupe ſubibat.
Apparent immenſi agri, largiſſimus æther,
Herboſæ hàc illac valles, animantia mira,
Capreoli, pardi cicures, ceruique fugaces.
Quæ loca! quas olim ſedes! quæ regna pararat
Omnipotens! vt bellè, vt ſuauiter omnia rident!
O miſerum mortale genus, quæ dira cupido
Hinc procul exegit? Iuuat omnem abſtergere, curam;

Reſ-

Reſpirare auram iuuat, & dare lumina circùm.
Zacharides viſu attonitus puer ore ſequaci
Verſicoloratas ſeruabat in axe volucres,
Phœnicum, atque apodum turmas, & candida olorum
Agmina, ſturnorumq; acies: cui regia Mater
Annue, ait, digito, porrectàque allice dextrâ.
Annuit; inq; manum ſublatam & brachia nuda
Ardeolæ, virides pici, cinclique loquaces
Ad nutum veniunt: mirantiq; addidit Ales,
Ipſi etiam accedent mites, ſi iuſſeris, vrſi,
Nec renuent tigres: nulla his fera noxia ſyluis.
Ventum eſt Elyſij in pomaria, diues vbi illa
Cladibus heu noſtræ gentis memorabilis arbos:
Pomaque cernere erat ſummis fatalia ramis
Pendula adhuc, veteris monimenta perennia noxæ.
His, ait auriga, infauſtis ſub frondibus actum
De rerum ſummâ, iacta alea, perditaque omnia.
Ipſa locum immunis culpæ circumſpice, Diua.
His furtim repens emerſit ſepibus anguis:
Hic ſedit miſeranda parens: hîc ore locutus,
Multaq; promiſit veterator callidus: huic ſe
Implicuit trunco, porrexitq; improbus eſcam.
Heu dolor! heu pietas! Delirauere parentes;
Plectetur Puer iſte tuus. Sancte Aliger, iſtud
(Da veniam) poteras reticere, aut dicere ſaltem
Vocibus ambiguis; nunc irreuocabile telum eſt.
Atq; hæc verba diu tacitè ſecum illa reuoluet.
Occidit interea Titan: (mirabile viſu!)
Suſpiciunt lunam ingentem ſe tollere contra,
Cui maculæ inſuetæ, & ſolito turgentior orbis;
Per vitreas qualis ſeſe ingerit aurea lentes.
Vſq; adeò illa polo, ſublimi vertice, in auras
Accedit tellus, propioraque ſuſpicit aſtra.

Denique

Denique marmoreum tectum ſublime refulſit,
Tot pictis aulis diues, quot ſolibus annus:
Ingrediturq; ſonans currus quà porticu in amplâ
Mille aderant iuuenes tedis vtrinque coruſcis;
Ordine diſpoſiti. Centum atria mira columnis
Suffulta apparent. Ales pulcherrimus vlnis
Diuinum accepit Puerum; Reginaq; bigis
Vltima deſcendit. Conclauia in alta feruntur
Marmoreis gradibus, ſequitur quos vndique fuſa
Cæleſtum pubes. Lituis domus intima, plectris,
Carminibusq; ſonat, facibusque incenſa coruſcat.
Omnia tuta videt Genitrix, fruiturque beatis
Delicijs. Nox ſtellifero tegit omnia velo,
Proijciens latè campis felicibus vmbram.

Nunc ruat vtcunq;, & ſæuis ferus intonet armis
Orcus in abſentes; nunc terras turbine, & axem
Miſceat, irarumque omnes effundat habenas.

Hûc animos, Auguſte puer, cui Turcico opima
Sanguine Pannonicis iam ſexta adoleſcit in aruis
Læta ceres; raucûmq: ſonans promiſsa quotannis
Corpora cæſa virûm, veſtes, pacta armaq; patri
Euxino impatiens Iſter iam ferre laborat.
Huc ades, inuicti cura & ſpes magna parentis,
(Spero equidem, nec vana fides) Oriente ſubacto,
Imperij quondam gemini recturus habenas,
Ilos alme Auſtriadum, Ioſeph. En deniq; bella,
En tibi promiſſas acies. Hinc armiger axis,
Hinc Erebus iam ſigna mouent, Martemque laceſſunt.

Ergo omnis cæco miſceri murmure vallis
Cœperat Ænonis. Prægnans Acherontia nubes
Lucifugos manes aluo profuderat, inſtar
Grandinis æſtiuæ, horriſono diſploſa tonitru,
Atra Gomorrhæi trans vſque bitumina ſtagni.

Quan-

Quantus Hebrus, quantusq; Hypanis, vel magnus
Orontes,
Aut pater Eridanus latè imbribus auctus inundat,
Egrediturque Atheſis ripis, vel maximus Indus;
Tale fremit, tantoq; ruit per ſaxa ſonore,
Piniferas inter ſyluas, camposq; volutum,
Exſuperatq; iuga, obſcurisque it vallibus agmen.
Noctis erat medium, cùm Belphegor arduus alto
Stans ſcopulo, ſtimulos animis incuſſit amaros,
Inſtigans iam trita iugo ſubducere colla,
Frænaq; morſa diu perrumpere, bellaq; demens
Agminibus Stygis innumeris indicere Olympo.
O ſocij, ò quondam cæli gens incola ſummi,
Quos odium ſuperûm vetus implacabile torquet;
Nunc vetera vlciſci tempus, nunc iura tueri,
Nunc fas antiquam per vim decernere litem.
Sunt nobis immenſæ acies, extremaque paſſæ;
Quodq; caput, noſtris diuina exhauſta poteſtas
Supplicijs, nec habet quid deſperantibus addat.
Quæ fuerit ſors cunq;, in Numen vertere magnum
Lucifer arma iubet, patriasque repoſcere ſedes,
Sydus hyperboreum ſupra, gelidosque triones.
Exſcindēda hominum primò ſtirps funditus omnis,
Reptilium, & volucrum, & pecudum genus: inſuper ipſa
Deuaſtanda igni tellus: hinc aëre cæco,
Per medios ignes, per denſa volumina fumi
Ibimus in ſuperos. Memores tamen iſta tenete:
Si fors cælicolæ trepidi venientibus vltro
Annuerint, & regna velint antiqua paciſci,
Partirique polos, haud conditionibus æquis;
Ne quiſquā indecori obſequio, velut indigus hoſpes,
Ætheris in partem veniat: rigido omnia iure,
Nil precibus, poſitoque genu, veniaq; petendum.

Condicta, ô ſocij, res eſto: iungite dextras:
Nunc locus, & res ipſa vocat, nunc facta poteſtas
Hunc priùs abſtruſum latebris exquirite paruum,
Ambiguumque Deum, quem Numinis eſſe veremur,
Progeniem magni; nobis, ſi creuerit, olim
Venturum exitio. Captiuus ad infima quæque
Cælicolas trahet: haud paruo redimendaq; mater
Obſes erit pretio. Ite alacres, his abditus antris,
Hic latet; ad prædam diſcurrite, cingite ſyluas,
Veſtigate aditus omnes, det buccina ſignum.
His dictis elati animi, & nouus additus ardor,
Vanaque ſpes miſeris, cælique arrecta cupido.
Iamq; atris facibus læti, incenſiſque cupreſſis,
Per iuga odoriſequi, per ſaltus vndique fuſi,
Latrantum velut audito turba excita cornu,
Euertis linguis caueas, & luſtra ſubibant.
Cùm procul ætherei pugiles, mille axe quadrigæ,
Loricæ ex auro, ſcuta ærea, telaque viſa,
Et chlamydes variæ, plumæ, & vexilla per auras;
Alatumque triplex deſcendere nubibus agmen.
Arrexere atros ſtupefacti ad ſydera rictus
Luce repentinâ obſtricti: haud mora, murmure rauco
Tartareæ inſonuere tubæ, tremuere cauernæ;
Et coniuratæ, momento temporis, omnes
Inſtructæ horribiles turmæ, ſub ſignaque rapta
Agmina. Læua acies tibi, corniger Aſmodæe,
Teſſera cui belli piceus caper: huic Ephiaites
Signifer, & Mormo comes additus: in medio dux
Belphegor, & Gorgo, & Belial: extrema coërcet
Squamigerâ Dramelech inſignis pelle draconis.
Parte aliâ claſſem, ſpecie fugientis, Amida
Laxabat ventis; à tergo ſcilicet hoſtem
Circuitu interior largo aggreſſura repentè.

Quisq;

ſiſq; ſuas luſtrare acies, ſpemq; addere dictis,
: monſtrare manu natalia ſydera: Nunc vi,
unc animis opus, ò ſocij, nunc reddere cladem
ſoſtibus antiquis, nunc nunc cui cedat Olympus,
ui ſumma imperij, veſtris decernitur armis.
Iamq; propinquabat legio omnis cælica terris
am propior ſtadio. Tot ſcuta, & tela per auras,
Tanta acies Diuûm, galeæque, enſesq; micantes
Vndique inardebant, quantum nec Cynthia pleno
Orbe micat, medioque nitet ſol purus Olympo.
Illa autem pennis cælo librata pependit
In turmas digeſta ſuas Orientis ad oram,
Opperiens hoſtem. E ſignis borealibus Orcus
Circuit occiduam partem, volucresq; manipulos
In gyrum flexit: nec ſegnior inde volatum
Erexit contra. Improuiſi turbinis inſtar,
Turbinis ex Apennino venientis, aquoſam
Obſcuramq; hyemem, tempeſtatemque ferentis,
Ala ſiniſtra Erebi, magno procedere iuſſa
Cum ſonitu, in dextrum cornu ruit impete facto,
Alphitus, & Dagon, atq; Ornicus, & ferus Acco,
Ante alios primi. Tortas vmbonibus haſtas
Scuta retorſerunt adamantina protinus, actis
Hoſtibus in præceps; iterumque in bella feroces
Conuerſis rediere animis; iterumque repulſos
Fulguris inſtar agit, tergoq; fugacibus inſtat
Prima acies Diuûm. Sed & ipſe ſequentibus hæret
Belphegor increpitans dictis: Non Appula tellus;
Non hic Gargani montes, quibus hæſimus olim
Vi pulſi cælo; nec primùm fulmina viſa, (tem
Aut tonitru auditum. Sed & ipſum torua fremen-
Cum ſocijs premit Aligerûm turma altera: turmam
Hanc ſequitur Dramelech; hunc tertia cominus
vrget

Diua phalanx: haſtas haſtis, tela ignea telis
Implicuere, oriturq; atrox aſperrima pugna.
Paſtores ſtrepitu exciti, de montibus atram
Suſpiciunt nubem: mirantur noctis in vmbrâ
Tot ſtrepere obſcœnas volucres, tanta agmina cælo
Miſceri turmis internigrantibus alba:
Fit clamor, ſæuitque canum latratus ad auras.
Aſt Erebi inſanæ vacuum per inane phalanges
Alternæ, ad læuam dextramque, infraq; ſupraque,
Hàc illac varijs ſuſdeque erroribus ibant.
Ter fruſtra in nubes validis conatibus actæ;
Ter lapſæ ad terram; ter rurſum concitæ ad auras.
Mille vias ineunt, ſpirasq; orbesque retexunt;
Vt veſpertini per ſera crepuſcula mures
Pinnigeri volitant. Stat longis fallere gyris
Inſtantes à tergo hoſtes: non ſi ruat ipſe
Deſuper Omnipotens iurati cedere campo.
Iamque adeò in longam noctem fera bella trahebant.
Iam procul audiri clamor, ſtygiumque celeuſma
Cœperat infernæ claſſis; longeq; videri
Tartareæ antennæ, diſtentaque carbaſa vento.
Cùm ſubito tonitru Diuûm Pater, atq; hominum Rex
Sydereo è ſolio totum tremefecit Olympum.
Ecce autem (res mira!) aderat ſublimis Amazon
Albo in equo aëriâ veniens altiſſima nube
Bellatrix, cui tænarias confundere turmas
Armipotens dederat. Non huic armata ſecuri
Hippolyte, aut ripis Amaſeni educta Camilla
Digna foret lateri pedes ire, atque aurea tela,
Et pictas pharetras comes in certamina ferre.
Hanc pronâ labentem haſtâ, inter mille ſequaces,
Non tulit ille animis nuper, vultuque tremendus
Palan-

Palantum ductor lemurum Aſmodæus, in omnem
Incurritque aciem trepidus, claſſemq; petiuit,
Poſt puppes & tranſtra latens, formidine turpi.
Haud aliter quandoq; canis pecuarius ingens
Rure cubans, ſi quem venientem ſenſerit, ore
Continuò exululat magno, inſequiturq; pauentem;
Quem ſi audens quiſquam petat obuius, ocyor Euro
Tecta ſubit; ſtabulique alto de culmine vecors
Latratu in feram noctem ſe iactat inani.
Tum fragor auditus, veluti ſi corruat axis
In præceps fractus: clypeum ſimul aſpera virgo
Obiecit rabidis, medioque vmbone refulgens
Numinis oſtendit non vlli effabile ſignum,
Notum Erebo ſignum: ſimul axe apparuit ingens,
Terribilis, vindex enſis; tum murmure claro
Quattuor à ventis, vox magna audita per auras:
Ad Chaos, ad puteum, genus exitiale, profundi.
Horrendum viſu! rima ingens aëre aperta eſt,
Aſtraque viſa polo, & comitatus Numinis, & mors
Oſſea præcedens in equo, inrumeræque cohortes.
Quo viſu turbatæ acies, pauor excitus ingens;
Ceu trepidis auibus cùm deſuper ingruit alis
Miluius, aut vultur roſtro improuiſus obunco.
Prima fugam remis veliſque capeſſere Amida,
Trans Caſium, & Seras, nimboſaq; culmina Tauri:
Parte aliâ Ægypti turba omnis fœda Deorum
In diuerſa trahi longis inuecta colubris.
Ad terras reliqui, condenſæ grandinis inſtar,
Præcipitare metu: Laxis fugiamus habenis
Quà iuga prona ferunt: totus ruit axis, ab alto
Millia myriadum princeps trahit armiger; ipſe
Bellipotens curru inſequitur, fugite ocyùs, arma
Exuite. Hinc pauor, & clades vaſtiſſima; nec fas
Præcipites retinere minis; fanaticus error

Vſque adeò exagitat trepidos. Fugit auius ipſe
Euphius, & Babel, & Belzebub: ater euntes
Nimbus aquæ inſequitur: caligine, puluere, fumo,
Arietibuſque nigriſque vlulis obnubitur aër:
Pars obſcœnarum volucrum fuſco æthere pennis
Fidere, pars condi miſerorum in corpora agreſtum;
Hos Sodomæ merſere lacus, hos terra dehiſcens,
Aut putei excepere caui, pelagusque profundum.
Eſt regio Italiæ in gremio, ſub ſydere triſti,
Quam Dauni, & Veſtinus ager, Marſique coërcent,
Nubiferumque ſuper caput exerit Apenninus;
Vnde iugis acti in præceps horrentibus amnes
In mare ſe exonerant, Vulturni nomine. Tellus
Omnis ſubtus hiat, cæcis perfoſſa latebris,
Fornicibus ſuſpenſa cauis, & ſulphure fœta.
Huc legio princeps ſeſe per aperta Veſeui
Ora dedit, penitus vacuas ingreſſa cauernas
Quantum (*a*) Hirpinorum vrbs ſedes, & regia diſtat
Parthenope. Hic profugos ſuperûm Pater ære reuinxit;
Adiecitque annos (*b*) quot cælo impendet ariſta
Iſidis, octonis ter ferme vt vergat eoam
Signiferi in partem gradibus. Quo tempore demum
Exacto, rurſum valido luctamine ad auras
Erumpent ſciſsâ tellure; & murmure vaſto
Impoſitas quatient ruptis compagibus vrbes.
Nec verò euentum primi inter cætera mittam
Ductoris ſtygij. Ille amens ad flumina curſu
Dum fugit, in viridi paſcentem gramina campo
Nactus equum, huic aluo ſeſe indidit. At quadrupes ſe

Proti-

(*a*) *Beneuentum*. (*b*) *Tempus aſtronomicum vſq; ad annum 1688. quo terramotus per Campaniam.*

Protinus immani coniecit in aëra ſaltu;
Concuſſisq; iubis per colla, & ſpumeus ore,
Indomitus præceps per deuia fugit Idumes.
Donec Ithuræi comprenſum montibus aſpris
Obſtrictum hinc atque hinc per vim traxere lupatis
Herodi, Herodes Agrippæ, Agrippaq; habendum
Auguſto dedit. Hoc verò mirabile narrant;
Illius in ſobolem, & ſobolis genus omne ſecutum,
Tartareum poſſeſſorem migraſſe frementem
Cæſareis ſtabulis: donec ſacro effera fræno
Iniecto Conſtantinus compeſcuit ora,
Hoſpite Auernali eiecto: quæ ferrea fræna,
Auguſtæ Crucis è clauo confecta trabali,
Inſubrum ante aras nunc Vrbs regina veretur.
At ripâ ex altâ liquidi Iordanis Amazon
Inſignem niueo candore, auroque nitentem
Egit equum, & fluuio victrix ſe condidit alto;
Vnde pios iter ad manes per concaua terræ.
Quò ſimul aduenit, patrijs fuſæ vndiq; ſiſtris
Occurrére animæ, latèq; patentibus vlnis
Antiqui Patres. Quis verò hanc crederet illam,
Parthenij quondam meruit quæ præmia veli,
Dilectam IESU, & Pueri cæleſtis amantem
Iuditham? huc talem armigeram quis tempore tali
Improuiſam adeò ſuperâ expectaſſet ab aurâ
Venturam? Illa erat, illa tamen iam corporis expers,
Præda recens mortis, fato ſublata repentè.
Namque agris nuper ſero dum veſpere anethum,
Æquales inter legeret pulcherrima nymphas;
Seu riguâ latitans malus anguis læſerit herbâ,
Siue aliud (longo nam fama obſcurior æuo)
Heu laſſa, heu morior, dixit; collapſaque ſedit

Floribus in niueis, albo magis alba liguſtro.
Mox, vbi deſeruit mortales ſpiritus artus,
(Quæ fuerant nuper ſacri præſagia ſomni)
Olli caſtus amor meruit, ſeruataque voto
Virginitas Erebi obſcœnas diſpergere turmas,
Et lætum Elyſij in ſedes inferre triumphum.
Exitus hic primus belli; ſic Tartara probro
Affecta, eluſi manes, dux fœmina facti.

LIBER SEXTVS.

ARGUMENTUM.

Elias Thesbites in Paradiſo terreſtri Virginem colloquijs tenet. Diuinus Puer ſuperueniens Matrem roſis coronat. Serâ nocte, in palatium reuertentibus occurrunt animæ ſanctorum Patrum. Aulam maximam ſubeunt, vbi ſacra bella in parietibus deſcripta cernuntur. Illic drama ab Angelis exhibetur; atque iterum ſancti hoſpites curru ſublati Nazareth reuehuntur.

HEtruſcos inter flores quà labitur Arnus,
Heſperiæ ſacris ſtatio gratiſſima cycnis,
(*a*) Eſt locus in prato, vnde etiam data nomina ruri.
Quanquam forte ſuâ felix locus ille vocari
Elyſium meruit: regni nam ſiqua beati
Illius in terris ſpecies foret vlla ſuperſtes,
Vnius iſta foret Mediceæ gloria villæ.
Vnde adeò geminæ facies, & prorſus eandem
Exactæ ad normam ſedes, rem promere ab alto
Fert animus, paulùmque viâ deflectere cantu.
Namq; ferunt, poſtquam vates (*b*) Aligherius Orci
Ambages tortas, animarum februa, & altas

 Cælico-

(*a*) *Pratolinum, magni Ducis Hetr. villa, cur ſimile Paradiſo terreſtri.* (*b*) *Dantes.*

Cælicolûm ſedes ſtellato aſcenderat axe;
Non illum in patrias (ſi famæ credere fas eſt)
Continuò rediſſe domos. Nam dia Beatrix,
Quâ duce tot vulgo ignotos penetrauerat orbes,
Nequa forent diuinarum mira abdita rerum,
Terreſtris Paradiſi iterum traduxit in hortos.
Hos duce Matheldâ iam viderat; aſt ibi poto
Amne ſacro, memori abſtulerant obliuia mentem.
Ergo iterum peragrare datum loca, tectaq; mira
Infanti fabricata Deo, quò reddita menti
Viſa ſemel rurſumque forent: Poſtq; otia longa
Dicitur aſportaſſe illinc deſcripta papyro
(Seu verum, vt perhibent, ſeu vulgi fabula) ſacræ
Intima quæque domus, teneræ ſarmentaque vitis,
Delicium Muſæ, feræque alimenta ſenectæ.
Hinc gemino diues ſpolio patria arua reuiſit,
Præcinctus nigris lauris, quas fumus, & aër
Obſcurus terrâ fuligine tinxerat Orco.
Oſli ſacra genis macies, vox ænea, triſtis
Obtutus, veterique ſcabrum rubigine plectrum:
Perque vrbes medias ibat, perque oppida Tuſca
Pone trahens citharâ ſtupefactum ad carmina vulgus.

Tum latè Auſonias gentes diſcordia demens
Hinc atq; hinc odijs in mutua fata ciebat.
Cauſa mali, geminæ perplexâ ab origine (*a*) partes,
Queis bicolor nomen fatalis teſſera belli;
Vnde bipertiti ciues, atque aſperi agreſtes,
Et populi infenſi populis, atque vrbibus vrbes.
Quid repetam ſæuas quot paſſa Hetruria clades?
Quot procul extorres vis egerit impia ciues?
Ipſe etiam vates nequicquam dira minatus
Exitia, & pœnas, quas imis nuper auernis
Vide-

(*a*) *Albi, & nigri.*

Viderat; infelix patrijs à finibus exul,
Dicitur excoluiſſe agrum, curiſque leuamen
Vinetum inſtituiſſe domi: vitemque beati
Elyſij furtum creuiſſe penatibus aiunt,
Prætextam muris, quam dein voluentibus annis
Diffuſam latè, & mirâ propagine adultam
Paulatim Hetruſci campos ſeuere per omnes;
Tyrrhenæque vrbes ſacrum expreſſere liquorem
Piſtorium, Senæ, Alpheæque ab Origine Piſæ.
Prima propinauit laticem Florentia purum,
Os liquido perfuſa mero, mirabile donum
Finitimos inter populos partita Lyæi.
Olli (*a*) ſubuiridis color, atque abſcondita vena
Nectaris ætherij, longè ſuper Attica mella;
Quâ ſenſim agreſtes hominum molleſcere linguæ,
Eloquiumque modis cœpit dulceſcere miris,
Et lepor, & charites paulatim accedere dictis.
Inde tot egregij vates, cultusque per artem
Italiæ ſermo, Latij iam ſecula priſci,
Et Graias Veneres fandi dulcedine vincit.
Eloquij hinc inter Patres ſubſellia Dantes
Prima tenet, primus genialis conſitor vuæ;
Vnde illum in Tuſcos, mentito nomine Bacchi,
Vexit agros (*b*) Redus, prætextaque fabula vero eſt.
At folio excerptum, vt dixi, mirabile tectum
Hetruſcis Ducibus longo poſt tempore ceſſit,
Cui formâ, atq; ſitu ſubſtructa ſimillima (quantùm
Fas opere induſtri fabris mortalibus) ædes.
Namque hæc in viridi prato; in viridi quoq; prato
Illa domus; domui contermina eremus vtrique,
Et ſacrum nemus & fontes, & plurima, quæ nunc
Haud memorare vacat. Paradiſi ſed tamen hortus,
Diuinas ædes gyro qui plurimus ambit,

D 6 Paulò

(*a*) *Vulgo* Verdea. (*b*) *Franciſcus Redus in Dithyrambo.*

Paulò aliter poſitus. Verbana haud diſcolor illi
Inſula, ad eoum quà formoſiſſima ſolem
Vergit opaca cedris, Borromæosq; penates
Deſuper aſpectat. Multum illi, & Montia villa,
Pinifero quà ſubterlabitur Addua Vapro,
Meltiaq; aſpirat. Verùm hæc mortalia longo
Poſt ſe interuallo ſpecies illa aurea linquit
Antiqui Elyſij; quò me, poſt horrida bella
Iam feſſum, ſeries rurſum vocat ordine rerum;
Inuitatque chorus Diuûm, peregrinaque Virgo,
Quam cælo inuectam paulò ante his liquimus aruis.
Ergo age, quæ noſtris illo ſolatia in orbe
Hoſpitibus data, quæque oculis ſpectacula rerum
Exhibita, vtque inter ſanctos nox acta penates,
Muſa cane, & ſeclis non ante audita reuolue.
Hic illa, hîc gemini prono iam ſole puelli
Tunc aderant; pariterque aderat venerabilis æuo
Feruidus ille ſenex, raptus qui curribus igneis
Sederat his quondam Thesbites aduena campis.
Olli canities mento diffuſa, pruinis
Candidior, niuibusque perennior Apennini;
Alba ſuper fuluâ quoque lanea pallia veſte,
Sandalia in pedibus, viridique intortus oliuâ
Nectebat ramus raros ad tempora crines.
Et tum frondifero ſub tegmine fortè ſedebant
Iuniperi; gemini verò per florea prata
Interea errabant pueri. Bonus incola Matri
Hoſpitæ amœna loca, atque æui celeberrima quæq;
Monſtrabat digitis longè monimenta vetuſti:
Illa procul iuga celſa vides, ſyluamque comantem,
Quæ ſolem tegit, ingentemq; huc proijcit vmbram?
Illis in latebris Adam, & malè credula coniux
Delituere ambo velati frondibus; hauſtum
Lethalis pomi ſimul ac ſenſere venenum.

En

En vbi deterſis oculis ſomno excitus Euam
Egreſſam latere obſtupuit: ſub collibus illis
Infelix famulantum inter genus omne ferarum
Iura dabat brutis, & nomine quæque vocabat.
Talia narrabat. Cui Parthenis alma, beatis
Delicijs capta agrorum, nemorisque propinqui
Reſpirans auram, roſeo ſic ore locuta.
Multa mihi porrò peregrinæ ediſſere, vates,
Iamdudum his aſſuete locis, quæ ſcire laboro.
Ac priùs heſterno lethalia veſpere vidi
Poma, venenatis vulgò celeberrima ſuccis;
Vnde lues genus infelix diffuſa per omne:
Aſt ea credideram, fateor, pulcherrima longè;
Longè aliam ſpeciem rebar, quæ cogeret vltro
Inuitas ad furta manus: nil tale, nec vllas
Illecebras, quas fama refert, ſub pectore ſenſi.
Olli ſubridens ſenior: Mirabile narras:
At non illa impunè alius ſpectauerit, inquit,
Adami de ſtirpe nepos. Sed fortè Parentum
(Quod reor, & decuit Genitricem Numinis) illa
Dira cupido tuos nil ſe transfudit in ortus.
Certè ego, cùm primùm blanda illa pericula vidi,
Ingenitum virus per venas ſerpere ſenſi,
Præſentique malo ſanguis ſufferbuit imis
Vſq; fibris; quanquam mihi iam vis nulla timenda,
Inque hoc tranquillo iam tuta ſit anchora portu.
Hic aliò eloquium diuina Puerpera bellè
Detorſit, ſortem egregiam ſibi conſcia celans.
Multa loci, veterumque rogat, ſed & ipſa viciſſim
Multa Palæſtinæ, rerumque, hominumq; reponit.
At ſenior, cui nondum animis exceſſerat ardor
Ille vetus, patrij cùm culmina degeret inter
Carmeli, pluuios vnde ignes ſæpe vocarat;
Ingenij memor vſque ſui, memor atque ſceleſto
Quæ

Quæ quondam illo æuo paſſus, quot adire labores
Extorrem impulerint; antiquæ ſemina flammæ
Elicuitque animis, rigidoque hæc ore locutus.
O ego quàm reliquos inter nunc degere vellem
Mortales, ſcelerumque vltrices cernere flammas,
Quas Puer iſte tuus, patrio pro Numine læſo,
Axe feret! Num ſæua adeò vos ſecla tulere,
Qualia vixi olim? Quantas mihi perfida lites
Fœmina, quotque tulit! quot ſanctos illa peremit,
Haud impunè tamen, vates! quot ſparſa per omnes
Monſtra Deûm terras, quot fœda altaria vidi!
Impia gens, toties nequicquam exterrita noſtræ
Fulminibus linguæ; nunc denique magnus ab alto
Vltor adeſt, meritis qui ſubruat ignibus vrbes
Sacrilegas. Quantus regum cruor effluet atris
Lingendus canibus! quot corpora ſparſa per agros
Alitibus prædam video, quantoque tumentem
Sanguine Iordanem! Quanquam pro talibus, alma
Virgo, equidem vereor, nimiùm frons iſta Puelli
Blanda tui, placidusque animus. Quò priſtinus ille
Dux exercituum ceſſit? cur grande ſub iſtis
Diſſimulat Numen ſpolijs? vbi fulmen? vbi vox?
Et nomen vetus, & facies, habitusue Tonantis?
Talibus auſterus dictis antiqua renarrans
Inſtabat vates: Quem mitibus alma querelis
Mollibat Virgo; deſuetaque fulmina dextræ,
Alternasque vices, & ſat data funera terris;
Nunc aliam ſeriem, conuerſaque ſecla docebat.
Interea verò gemini per prata puelli
Immixti genijs, calathi quibus omnibus auro
Illuſi, atque ebeno texti argentoque quaſilli,
Carpebant flores. Ter quinquaginta ſeorſum
Collegere roſas; quarum pars tertia puris

Pu-

Purior alpinis niuibus, pars altera tincta
Murice ſanguineo, pars vltima concolor auro.
Vt numerum expleuere ſacrum, Tria nectite filo
Serta, ait ætherius Puer, vnicoloribus vnumquodque
roſis; decimam medio ſed quamque niuali
Bellè interpoſito diſtinguite lilio, odoros
Inter vtrinque crocos. Sic ille, & ſedulus vltro
Ipſe manus operi quoque contulit; inde per agrum
Lætitiâ ingenti Reginam adiere ſedentem
Gramineâ in ripa: cui formoſiſſimus Infans
Mollibus impoſuit nexum diadema capillis.
Quis tibi ſenſus erat, Virgo? quàm concolor ipſi
Sanguineo ſerto! quæ purpura ſparſa per omnes
Ore genas! Manibus ter ſummo è vertice mimus
Detraxit roſeum, Puero impoſitura; ter ille
Reſtituit rurſum; bis garrijt almus ad aurem
Matris; bis pariter Virgo reſpondit in aurem
Cæleſtis Nati. Tandem pulcherrima Numen
Cæruleo accepit gremio, & crinem, & tenera ora
Ore ſuperpoſito ſtrinxit, tenuitq; lacertis
Amplexa; & lacrymans, & inhærens talia dixit,
Quæ poterant ipſum, credo, retinere cadentem
In mare iam ſolem. Hic luſus gratiſſimus inter
Mille alios fuit. Hinc adeò tibi grata roſarum
Munera Parthenijs altaribus; hinc tibi magnis
Intermixta etiam titulis roſa. Deniq; ſerta
(Nazareas poſtquam rurſum remeauit in ædes)
Elpino dedit; ille autem ſua carmina cuiq;
Adiecit flori. Verùm mihi noxia ſemper
Veſperis vmbra. Inter medias iam ter mihi,
Phœbe,
Delicias fugis: ipſe autem quæ cernere velles,
Heſpere, cuncta fugas. En ſydera ſparſa repentè,
Præcipitemq; fugam ſolis, noctemq; ruentem

Parthenis ipſa dolet. Iam tempora cyclade velat,
Diſceſſumq; parat: Procul, inquit, in ardua tecta
Sera dies, Pueri, reuocat, ſuperandaq; vallis;
Perq; ſacram relegenda iterum veſtigia ſyluam.
Sic illa. At ſenior vates ſuſpexit eremum,
Carmeli ad normam veteris tecta ardua colle
Palmifero, atq; illuc bis ſuſtulit ad iuga dextram,
Clamoremque dedit notum; tenuitque parumper
Solicitam Matrem dictis; atque altiùs ore
Signa dedit rurſum. Ecce autem (mirabile viſu!)
Quattuor è monte alipedes, en currus ab alto
Flammeus; alatuſque Cherub auriga iugales,
Lora tenens, ſummo de vertice collis agebat.
Ac veluti in noctem, vulgo mediâ vrbe coacto,
Machina flagratura ingens vbi tempore longo
Spectantes tenuit; cùm primùm culmine ab alto
Per funem aut aquila, aut alato tergore ſerpens
Sibilat ore ferens incendia; plebis hiantis
Ora oculoſque rapit flamma improuiſa per auras:
Haud aliter miri veniebant tramite recto
Quadrijugi ardentes, flagranteſque axe quadrigæ.
Vtque ſolum tetigere rotæ, propiùsue quierunt;
His ego vectus, ait Thesbites, æthere quondam,
Hiſque feror toties trans nubila, transq; rubentem
Supremi regionem ignis; maculoſaque lunæ
Bis propior conuexa oculis immania vidi.
Hæc memorans armos manibus palpabat equorum,
Nomine quemque vocans; atque ora ſonantia frænis
Prenſabat dextrâ, atque humeris aptabat habenas.
Inde Parens, Puerique ambo, Seniorque coruſcis
Conſedere iugis; obſcuroque aëre ſepti,
Quà procul ad ſtadium miranda palatia ſurgunt,
Æthere ſtellato liquidum per inane redibant.

Fas mihi nunc rerum felici abſcondita noćte
Efferre in lucem memoranda arcana ſub auras;
Fas audita loqui, tantiſque obliuia rebus
Demere, ſiqua latent, memorique adiungere famæ.
Iam claras ædes, iam limina celſa ſubibant.
Ecce autem extremis medijsque penatibus omnis
Plena nouis ſtrepit hoſpitibus domus: ecce per aulas
Obuia, perque fores paſſim, perque atria magna
Turba ingens matrumque virûmque effuſa ruebat.
Nempe aderant veterum Abramidum de ſede piorũ
Selecti manes, proaui, ſanctique parentes
Virginis: (his nuper ſupera ad conuexa parumper
Ire datum, & Puero, & magnæ deferre Parenti
Obſequia) Ante alias complexu ecce obuia inani
Anna Parens in colla ruit, notæque per auras,
Ceu quondam, reſonant voces: Ne ſubtrahe vultus,
Ne metue, ô gnata: en genitrix tua, corporis expers:
Illius hîc ſimulacra vides; non veraque imago eſt,
Quam cernis: ſed præſentem te, Filia, miris
Amplector, videoque modis. Nec lumina poſſum,
Nec veſtes, nec mortalem diſcernere vultum
Spiritus exutus membris terreſtribus. Atqui
Longè alia apparet ſpecies, animamque nitentem
Perſpicio inſolitis radijs, cui corpus inhæret,
(Cernere quod nequeo) nebulæ circùm inſtar opacę.
Oſcula redde mihi, mea lux, quæ ſentio; quanquam
Sparſa tibi hæc eadem volucres videantur in auras.
Parte aliâ Eliſabe pauidum complexa puellum
Alloquitur longæua ſuum; ſimiliſque tenenti,
Cæca velut, rogat an tergo circumdata zona,
Vt quondam, prenſumque manu contrectat inan
Hortaturque loqui; propiùſque adnixa laborat
Ingerere antiquos vultus, & nomina nota.

Me ne, puer, noſti, tenerum quem montibus olim
Infantem texi, pueris cùm bella moueret
Impius ille, cauoque ſpecu iam laſſa biennem
Te moriens liqui? Quæ ſors exinde ſecuta?
Quæ rerum ſeries? Tales dabat illa querelas;
Quas ſtrepitus Patrum tegit ingens vndique circùm
Infantem Diuum. Hic citharis inſignis eburnis
Regis Idumæi, Ioachimi, atauique Manaſſis,
Pantheris, Ieſſe, atque ingens ſenis Abrahæ imago,
Iſacique pij ſerâ de ſtirpe nepotes:
Veſtibus in niueis omnes, oleaque virenti,
Et ſemper viuo redimiti tempora flore.
Vnà omnes ſubiere aulam, quæ maxima tecto
Seſe aperit medio. Centum cryſtallina lychnis
Penſilis effulget lampas, centumque minores
Aëre dependent; aurataque brachia longo
Ordine ſuſtentant ardentes vndique ceras.
Hic acies pictæ innumerę, & ſeges aſpera Martis;
Ære graues equites, haſtæ, galeæque comantes,
Et clypei, atque omnem ſacer horror circuit aulam.
Scilicet in diuum Puerum Styx effera, quotquot
Eductura olim furias, horrentiaque arma
Cernere erat, pictoſque duces, & fortia facta
Magnanimûm Heroum, pugnataque in ordine
bella.
Hinc Conſtantini labara exundantia ventis,
Romuleisque aquilis Crux addita, viſa per auras:
Inde Godefridi vexilla, & Maurica cæſa
Agmina, Arianæque acies, & Thracia bella.
Nec tantùm veteris, ſed & æui Mars quoq; noſtri
Effigies, atque arma virûm, ſpirantiaque ora
Parietibus pictis, varijſque tapetibus errant.
Namque hic æratas claſſes, Venetoſque leones
Littora ſpectabant, Maurocenique triumphum,
Ionio

Ionio è ponto in patriam noua ſceptra ferentis.
Parte aliâ heroes magni Lotharingus in armis,
Et gener Auguſti Bauarus, duo fulmina belli;
Ductoreſque alij medijs in millibus ibant.
Tuque etiam palmis ſupereſſes, Iule, Sabaudæ
Gentis honos, cui mors præceps florentibus annis
Inuidit, ne lætam vrbem, conuerſaque fata
Aſpiceres belli, quorum pars magna fuiſſes.
At latè in medio Geticus reuolutus in omnem
Pannoniam it torrens, cui vix ſatis ampla camelis,
Armentis, & equis potoribus, atque trecentis
Europæ atque Aſiæ collectis gentibus vrna
Danubij: Auſtriacis ſucceſſu turgidus horrens
Ire ſuperfuſus rupto aggere cernitur aruis.
Hinc miſeræ matres profugæ per tela per enſes,
Crinibus effuſis, lamentiſque aſtra cientes,
Queis mediâ è flammâ gremio aſportata ſupellex,
Aut cæſus coniux, aut rapti in vincula nati,
Inter equos, curruſque latent, confuſaque caſtra.
Migrantum plena arua fugâ, plena omnia luctu,
Horror vbique, metus, facieſque miſerrima belli.
Nec procul Auſtriadum poſitam diſcrimine in arcto
Cernere erat ſedem; tercentum millia circùm
Quam Thracum immenâs valli obſidione coërcent.
Omnibus it tortus circùm caua tempora turbo
Lineus implexus ſpiris, latera ardua cingit
Faſcia verſicolor; vario Babylonica textu
Arua tegunt pictis tentoria ſerica velis.
Heu, quæ tum miſeræ facies, quæ vota pauentis
Italiæ! heu, propior flammæ quibus anxia curis
Littoris Adriaci regina, vrbſque alma Quirini,
Ignaræ quid fata parent, quò pondere vergant!
Qui gemitus, quæ fama omnes malefida per vrbes!
Poſteritas; (ſi non ſera illa extremaque mundi es,

Viſu-

Viſura excidium rerum) ne talia ſperes
Poſſe tuis memoranda adeò contingere ſeclis.
Ecce autem picta in ſummis laquearibus aula
Numinis apparet, puràque in veſte (*a*) Sacerdos
Maximus, effuſis lacrymis auertere cladem
Si queat; & Cæſar ſupplex, Auguſtaque coniux,
Et nati gemini, atque omnis Germania mœrens,
Hungaricuſque aderat Diuûm chorus, ipſaq; ſceptri
Pannonici cuſtos Virgo, veniamque rogabant.
Namque hos è cælo armipotens obiecerat ægris
Terrores populis Diuûm Pater, atque hominum Rex,
Vota auditurus miſerorum, & iacta ſub auras
Lamenta & gemitus: Queis denique motus, ab alto
Æthere proſpiciens, oculos ad mœnia torſit
Iam centum perfoſſa locis: ſimul armiger Ales
Ære cauo inſonuit; ſonitu quem Viſtula longè
Audijt, atque Hypanis, gelidique Boryſthenis vndæ;
Audijt & longè niuibus glacialibus horrens
Carpathus, extremuſque Albis, Rhenuſq; bicornis.
Vndique conuenere duces, tremit excita tellus
Æriſonis plauſtris: huc ſors, huc alea rerum
Extrema, huc demum fatis adducta ſupremis
Lis Aſiam Europamque inter, cui pareat orbis.
Mens eadem cunctis prædonem arcere cruentum
Mœnibus obſeſſis, aut certæ occumbere morti.
Nec mora: per denſos cuneos, per fulmina valli,
Per ſegetes ferri horrentes, hinc turbinis inſtar
Sauromata, hinc Lotharus Mauors, & Noricus, atque hinc
Saxones, & Cimbri, atq; Haſſi, genſq; incola Mœni,
Et Nicri, atq; Amiſi, & Vahalis, quoſque alluit Eder,
Quiq; Iſtrum, Traunumque bibunt, gelidumque Viſurgim, Her-

(*a*) *Innoc. XI. Pont. Max.*

Hercynioſque colunt ſaltus, ceu montibus acti
Torrentes, profugos de mœnibus vrbis agebant.
  Famaque iam toto ſignum dabat aëre cladis,
Ære cauo ingenti. Centum vrbes, oppida centum,
Cæſareas acies, victriciaque arma canebant.
Omnibus in pagis ludi, combuſta ſuperbi
Muſtaphi ſimulacra vijs, profuſaque dona
Larga meri, in medijs paſſim conuiuia pratis.
Ipſe autem niueo altus equo, pulcherrime, cultu,
Hungaricoque inſignis acinace, rite vetuſtis
Cerneris, Auſtriade Ioſeph, ſuccedere regnis.
Stant circùm Illyrici, atque Daæ, extremique
Triballi,
Et Mœſi, & vincti Thraces: ipſe arduus enſe,
Quattuor ad ventos conuerſus, patria regna
Deſignas. Bello populi mirantur acerbo
Plena ora, impubeſque genas, auroque comantem
Cæſariem, & pulchrum ſpirantia lumina Martem.
  Talia per muros venturi præſcius æui
Aulai ingentis pictor digeſſerat Ales.
At maiora oculis velo ſeruata latebant.
Nam procul ante ora auguſtum ſe tollit ad auras
Pegma, pauimenti extremâ de parte, coruſco
Sipario obductum. Poſt velum ſcena, chorique,
Actoreſque latent Genij, pulcherrima pubes,
In ſeram noctem ſpectacula mira daturi
Hoſpitibus Diuis. Titulus de fornice pendet
Oſcula Iuſtitiæ, & Pacis. Iamque aurea rite
Cymbala proludunt chordis: iam pompa latentis
Se retegit ſcenæ: iamque alta ſilentia poſcit
Sibilus. En ſenſim ſubducitur aëre velum.
Proh! quę immortalis ſpecies! quę Regia! quæ lux!
Quæ domus ætheria! Hem qualis ſedet ardua
gemmis

In

In ſolio Regina nitens! quot fulgurat aſtris
Intextum ſyrma aërium! quas iam dabit illa
Fronte graui voces! vt plena ſilentia ſancto
Terrore! vt tragicis dictis iam præparat ora!
Argumentum operis, Maieſtas læſa Tonantis:
Iuſtitia hinc acuens iras; Pax flebilis illinc
Exorans veniam. Nodum Sapientia ſoluit;
Proponitq; , inter Numenque Hominemque, ſequeſtrum
Vnigenam, noſtro velatum corpore Numen.
Diſcutitur, placet inuentum: ſuprema Poteſtas
Commiſſum ſibi ſpondet opus. Sic lite diremptâ,
Acceptis hinc atq; hinc conditionibus æquis,
Oſcula Iuſtitiæ & Pacis ſpectacula claudunt.
Talia ſupremus fortunata otia magnis
Hoſpitibus Pater indulſit; queis rite peractis,
Subuectos iterum curru trans nubila, opaco
Aëre, Nazareis bonus Ales reddidit oris.



LI-

LIBER SEPTIMVS.

ARGVMENTUM.

Nazareni cæleſtem Puerum magis in dies admirantur, eiuſque ſubobſcuram Diuinitatem curioſè veſtigant. Ionas camelarius, iterum ex Ægypto veniens imminentis infortunij metu oppidanos terret. Agar peregrina hiſtoriam de Engaddi vinetis narrat; quâ auditâ, Alcindus ſenior, afflatu numinis, vaticinatur. Vox interim è cælo delabitur, quæ proſperum ærumnis, ac votis exitum pollicetur.

AT tot mira diu penitus ſubducta latére
Haud poterant. Deus ipſe Pater luceſcere quiddam
Iam propiùs, fuſcâ veluti de nube, ſinebat.
Nam, poſtquam lætis Paradiſi è collibus Eden
Nazareos iterum Virgo remearat in agros,
Illa domus, rura illa, amnes, valleſque beatæ
Elyſij inuidiam poterant, cælique mereri.
Illius auguſti ſpecies, habituſque Puelli,
Vndecimus cui iam gyrum prope clauſerat annus,
Et nitor, & ſancti mores, & amabilis illa
Maieſtas iam tum pauidos terrebat agreſtes,
Numinis ignaros; eademq; trahebat amantes,
Mulcebatq; feros. Mirantur plena decoris

Lumi-

Spondeo) ſecreto ſub pectore dicta reponam,
Nec meus ipſe ſciet coniux, nec reſciet aura,
Quin mihi met ſtudio properare obuiam nitar:
Per ſi quid merui, per quidquid poſcere fas eſt,
Cara mihi ante alias, cui vox, cui gratia nata
Solamen curis, ſemel exorabilis eſto.
Fare age, quis tandem genius tuus iſte; puer ne,
An diuinum aliquid tibi lapſum ex æthere, vt ipſa
Suſpicor, in gremium? Tibi namq; ſimillimus ille
Vſque adeò te voce refert, teq; exprimit ore,
Teq; vnam; vt certè, in terris, quaſi credula iurent
Non habuiſſe patrem. Tibi verò tanta venuſtas,
Atque adeò à partu nil gratia decolor oris,
Nil ſpecies læſa; vt poſſis, pulcherrima, credi
Mater, adhuc virgo. Veniam precor iſta loquenti,
Nam tuus iſta facit miſeræ deliria natus,
Crine adeò, geſtu, vultuque, oculiſq; decorus;
Vt, ſi mortales Deus ipſe aſſumere vellet
Omnipotens artus, (auſim hoc quoq; dicere) tales,
Nec credo vnquam alios vellet ſibi fingere vultus.
Nonne vides, quæ forma illi, quæ gratia fandi,
Qui decor, alme Parens rerum, quæ lumina fronte
Bina micant? vt dicta ſtupent, pauidique recedunt
Externi agricolæ, monſtriſq; ſimillima narrant?
Verane quæ perhibent? veniſſe Orientis ab orâ
Illius ad cunas reges; humiliq; coruſcam
Inſediſſe lari ſtellam? vinetaq; eodem
Tempore, bruma licèt foret aſpera, colle propinquo
Vernaſſe? Auditum hoc memorant à Beride quadã,
Quæ modo Sunam habitat nupta illic; ipſaq; flores
Teſtatur quondam, atq; vuas vidiſſe recentes.
Sed quid ego hæc longè reuoco, atque antiqua reuoluo?
An non hæc pariter nobis memoranda canebat,

Spondeo) ſecreto ſub pectore dicta reponam,
Nec meus ipſe ſciet coniux, nec reſciet aura,
Quin mihi met ſtudio properare obnixa nitar:
Per ſi quid merui, per quidquid poſcere fas eſt,
Cara mihi ante alias, cui vox, cui gratia nata
Solamen curis, ſemel exorabilis eſto.
Fare age, quis tandem genius tuus iſte; puer ne,
An diuinum aliquid tibi lapſum ex æthere, vt ipſa
Suſpicor, in gremium? Tibi namq; ſimillimus ille
Vſque adeò te voce refert, teq; exprimit ore,
Teq; vnam; vt certè, in terris, quaſi credula iurem
Non habuiſſe patrem. Tibi verò tanta venuſtas,
Atque adeò à partu nil gratia decolor oris,
Nil ſpecies læſa; vt poſſis, pulcherrima, credi
Mater, adhuc virgo. Veniam precor iſta loquenti,
Nam tuus iſta facit miſeræ deliria natus,
Crine adeò, geſtu, vultuque, oculiſq; decorus;
Vt, ſi mortales Deus ipſe aſſumere vellet
Omnipotens artus, (auſim hoc quoq; dicere) tales,
Nec credo vnquam alios vellet ſibi fingere vultus.
Nonne vides, quæ forma illi, quæ gratia fandi,
Qui decor, alme Parens rerum, quæ lumina fronte
Bina micant? vt dicta ſtupent, pauidique recedunt
Externi agricolæ, monſtriſq; ſimillima narrant?
Verane quæ perhibent? veniſſe Orientis ab orâ
Illius ad cunas reges; humiliq; coruſcam
Inſediſſe lari ſtellam? vinetaq; eodem
Tempore, bruma licèt foret aſpera, colle propinquo
Vernaſſe? Auditum hoc memorant à Beride quadã,
Quæ modo Sunam habitat nupta illic; ipſaq; flores
Teſtatur quondam, atq; vuas vidiſſe recentes.
Sed quid ego hæc longè reuoco, atque antiqua
reuoluo?
An non hæc pariter nobis memoranda canebat,

Hisq; etiam maiora hoſpes narrabat Ionas?
Quin etiam, noſtros cùm lis foret inter amantes,
(Quanquã alio te ſub cælo tunc Memphis haberet)
Sub noctem pueris manifeſta in luce repentè
Dona ferens aderas; eademq; inuecta per auras
Arboribus ſuper, atq; inter caua nubila viſa es
Ictu oculi præſens; dum te nemus inter opacum
Quærimus, & nati miramur munera fontis.
Ex illo attoniti quæ Diuûm oſtenta tuemur!
Quot vates horrenda monent! quæ viſa reportant!
Ipſi etiam noſtri cùm matutina bubulci
Armenta educunt ſtabulis, per gramina ſparſos
Inueniunt flores, peregrinaque lilia paſſim.
Mirantur loca, quì poſſint ea candida ferre
Germina, quæſitumq; diu: extremòq; repertum,
Quà tibi, quà puero interdum mora facta per agros,
Alba liguſtra illic, violasque erumpere ad auras,
Et rorem interdum, aut liquidi veſtigia riui.
Quid plura? Hoc etiam memorant: In floribus illis
Si quis captarit ſomnos ſopitus in herbâ,
Continuò ſimulacra videt cœleſtia miris
Ante oculos obiecta modis, arcanaqne Diuûm.
Hoc mihi narrauit Beroë, quæ lumina poſtquam
Clauſerat, atque illic paulisper feſſa quierat;
Vidit vt innumeræ in ſomnis longo ordine gentes
Reges, atque duces, matres, pueri, atque puellæ
Ante lauacrum ingens properabant tabida morbo
Corpora certatim ſacris abſtergere lymphis.
Vidit & impoſitam præruptis montibus arcem,
Quam ferrugineo circùm tecti ære gigantes
Terrigenæ armati fruſtra obſidione premebant,
Nequicquam & contra reſerabant tartara portas;
Multaque præterea variarum ænigmata rerum,
Quæ mens (quippe audita olim) meminiſſe laborat.

Nunc

Nunc autem, hæc animo relegens ſimul omnia, mecum
Quid ſtatuam, fateor, cæcâ vetor obſita nocte:
Somnia cerno vigil, miris feror anxia monſtris.
Quod te per ſuperos, per magni Numen Olympi,
Perq; tuum hunc Solem, ſemel hæc perplexa reſolue,
Atque arcana doce. Tibi fida ſilentia iuro:
Hic citiùs paries commiſſa arcana loquetur,
Quàm retegam quidquam. His dictis pulcherrima Virgo
(Nam quo rem tegeret? quò ſe conuerteret anceps?
Quidue aliud poterat?) velo ſeſe illa ruboris
Virginei totam deprenſa in luce tegebat,
Purpureo ſimilis panno, ſimilisque Damaſci
Coccineæ rubicunda roſæ. Perpauca roganti,
Vt decuit, reſponſa dabat: cùm pulcher IESUS
Adfuit extemplo coram, nec Debbora fando
Explorare auſa vlteriùs, nec ſanguinis vltra
Elicere in vultus flammam: ſacer ingruit horror,
Suſpenſisq; animis, ſerâ iam nocte, receſſit.
Talis Nazaridum cura ingens pectora agebat,
Ignoſcenda tamen. Quis enim, tot mira tuendo
Abdita mortali ſpecie, non ſedulus omnes
Rimari arderet latebras? non cuncta ſuſurro
Miſceret tecta ambiguo? Nam corpore in illo
Exiguo, tenerisq; annis quis crederet vnquam
Eſſe Deum? Hinc ſtupor, & velut ægræ ſomnia mentis,
Hinc animi implexi, diuerſaq; murmura vulgi.
Ecce autem Pharijs rurſum mercator ab oris
Ille bonus Ionas, aderat; merceſque Canopi,
Donaq; cæleſti Puero, Matrique ferebat.
Iſque palàm patrio in cœtu miranda Puelli
Altiùs inſeruit ſuſpecta ænigmata genti,

Hunc precibus ſeruate pijs, huic rite Sabæa
Thura date, & ſanctis iam nunc aſsueſcite votis.
His igitur dictis horrebant vndique agreſtes.
Hinc Samarææ exciſa omnis commercia gentis,
Inque dies magis atque magis plebs territa
monſtris,
Nazareoque ſuper Puero mens omnibus anceps.
Omnibus in votis aliquam exalbeſcere lucem
E cælo, atque altè iniectam tabeſcere noctem.
Da, Pater, augurium, qui præuius igne columnæ
Iſacidas quondam deſerta per auia duxti:
Quique olim precibus victus ſitientibus vndam
Cautibus è duris, dona inſperata, dediſti:
Da finem curis, atque atram diſijce nubem.
Talibus orantes onerabant ſydera votis.
Cùm tandem tenuis reſplenduit æthere *fulgor*,
Inque atris fulſit ſpes improuiſa tenebris;
Spes, inquam, quam fortè tulit peregrina *puella*,
Hiſtoriam veterem narrans. Rem fuſiùs omnem
Altiùs ordiri, ſeriemque ab origine præſtat,
Et varia, vt poſſum, intertexere ſtamina telæ.
Nam ſemel hybernis circũfuſæ ignibus Eſther,
Atque vxor Ionathæ, & Damaris, longæuaque
Charmis,
Nazariæqne aliæ, ſtreperâ ingentique coronâ,
Ad riſum faciles, pars vellera, crudaque lina
Carpebant; alijs labor hirtis ſoluere echinis
Caſtaneas; aliæ torquebant ſtamina fuſis.
Fortè autem reliquas aderat ſpectabilis inter
Nupta recens Agar, Engaddi è rure puella,
Quam patrijs profugus tectis formoſus Heberus
Nunc primùm in patrias ſibi nuptam duxerat ædes.
Hanc croceis vittis, aurumque imitante orichalco
Inſignem, faciesque nouas, noua rura timentem

His ego nupta oris veſtris , nec inutilis hoſpes
Munera parua olim referam . Bethlemia in arua ,
Viſendi ſtudio , (vndecimus iam vertitur annus)
Ad Ieſum infantem , paſtorum credula dictis ,
Fortè ierat mater . Serâ dein nocte reuerſa
Engaddum , pluuio imbre fluens lutulentaq; cœno,
Vt nunc , hybernum circa ignem & fumida ligna,
Dum chlamydem ponit , madidos dum ſiccat amictus ,
Narrabat nobis quæ viderat . O , quibus illa
Ebria delicijs miris ! quæ viſa canebat !
Nec finis fandi quàm dia puerpera ; quot ſe
Vinctam illi , obſtrictamq; modis ; quàm candidus illic ,
Quam roſeus Puer inuentus , quàm frigore penè
Exanimis ! qualis ſuperi ! qui fulgor ocellis !
Mille modis varijs ſecum dulcedinis hauſtæ
It voluens animo ſenſus , atque exprimit ore .
Ire iterum iuuat , atque illi ſe Beris eunti ,
Atque ego multa gemens , & Zelphe , ac deniq; cunctæ
Adiungi oramus comites . Lux craſtina tandem
Ore vno decreta viæ ; modò ceſſerit imber ,
Candidiorque dies madidum deterſerit Auſtrum .
Ergo parens , veteri ex arcâ dum ſedula toſtam
Depromit Cererem , rugoſaſque eligit vuas ,
Quas Mariæ , & puero deſignat munera ; flebat
Importunam hyemem , flebat ſine floribus hortos,
Culpabatque niues , mutataque balſama oliuo
Nuper Ithuræo . Quàm vellet melle liquentes
Nunc vtique octobris ficus , & nectare plenos
Nequicquam botros ! O noſtra vbi cerea pruna ?
O noſtri , aiebat , nunc mala rubentia ruris !
Heu glacie , heu canis horrentia cuncta pruinis !

Audijt hæc Pater omnipotens de vertice Olympi,
Cui Zephyri parent, cui ver, cui pomifer annus,
Arriſitque bonus, ſpemq; omnem, & munera vicit,
Improuiſa repente ferens, mirandaque dona.
Namque, vbi prima polo rubuere crepuſcula lucis,
E ſpecula caput impexum caprarius Alcon
Protulit, obſeruans ventos, & nubila cæli:
Sublatiſque oculis, innubem vt vidit Olympum
Vndique, & egelidam ſenſit de montibus auram;
Bella dies, inquit, noſtris accommoda votis!
Oh! quis odor veluti florum! myrtiq; recentis!
Hem! flores! flores & poma! Alphæe, Manaſſes,
Zambris, io! Simeon; vua & narciſſus in horto.
Hei mihi! nocte diu vigili (nam tempore longo
Lætitia inſomnem tenuit) tum roſcida primùm
Attulerat laſſis membris aurora quietem.
Iamque orto ſole, & diffuſo lumine, noſtri
Immemores aliæ per florea rura puellæ
Errabant lætis clamoribus. Excita ſomno
Audio garritus, confuſaque murmura vocum,
Hem, Rachel Rachel, quot in vno perſica ramo!
O bella! Hic violæ, hic violæ & fraga; hîc quoq; fraga;
En ceraſa, en cedri: pueri, ne carpite: Zambri,
I properè ad matrem, calathos ferat: Aſpice, Ebere,
Aſpice, per ſuperos, hæc arbuta: ſuſpice, Ruben,
Quæ mala inſiſtunt tibi pendula: Perge, puella,
Quæ mora? perge citò: Fugit illa ſimillima vento,
Latratu feſto ſequiturque catellus euntem:
Mater, io! improuiſa æſtas, miracula rerum,
Turgentes vuæ, pyra, pomaque nata! Relicto
Ocyùs è ſtrato miris feror excita monſtris:
Nec mora longa, adſum cum matre & corbibus: vnà

Con-

Conſequitur ſoror, atque incomptis Sara capillis.
Vix poſſum hæc memorans lacrymas retinere cadentes.
Tollimus ad cælum palmas, ſtupefactaque circùm
Lumina verſamus. Sunt hæc cæleſtia dona,
Quæ tetigiſſe nefas, ait Abra; intacta feramus
Bethlæo Infanti: Folijs inſterne quaſillum,
Sephora; vos violas, vos porgite fraga, puellæ;
Vos, iuuenes, truncis inſiſtite, citraque nobis
Deijcite ex alto. Inſiſtunt ramalibus ambo
Protinus exertis Ionathas, & Beno lacertis:
Cereà pruna cadunt, melimelaque perlita rore:
Grandinis in morem ſuccuſſo perſica trunco
In viridem labuntur humum: Supponite, Matres,
Huc gremium, huc corbes; tibi pomum hoc, Sara, bilibre;
Hoc tibi, tende ſinum, Zelphe. Quid ſingula narro,
Quæ vidi his oculis præſens, hiſque auribus hauſi?
Iamque omnis veris pompa, autumniq; ſub altâ
Ilice erat, folijs cooperta, & odoro adianto.
At quinam Puero redolentia dona referrent
Lis erat, & magnum certamen; nam ſibi quiſque
Id cupiebat onus, ſibi certatimque quaſillos
E manibus rapiunt; inſtant pueri, atque puellæ,
Contenduntq; ſuper. Res tandem ad iurgia venit;
Cedere nec Zelphe vult Dina, atque vtraque certat,
Fœmineiſque vtrinque ſonat garritibus æther.
Ergo pater Ruben, litem componere adorſus,
Diſpoſitos omnes in gyrum promere iuſſit
Quemque manum; digitos, quot quiſque emiſerat, vnam
Colligit in ſummam; tum quemque ex ordine luſtrans
Non vno numerat gyro. Sors prima Barucchi,

Cui trifidum guttur, fatuus cui riſus in ore
Idem ſemper erat, riſuque excepit eodem
Id quoque: Rubeni ſors altera: tertia Zelphes:
Aduolat illa ſtatim, capitique celerrima plenum
Aptat vtraque manu calathum, quo ditior alter
Non erat, atque illum celarat callida in herbis,
Ne quis ſurriperet: ſequitur dein Sephora nutrix;
Inde ego, tum mater: ſors vltima Berſabææ.
At miſeram Dinam fortuna inimica fefellit;
Diſſimulare nequit, lacrymaſque abſcondere vultu
Nititur auerſo, & lites clamoribus altis
Suſcitat, atque alium rurſus vult inuida gyrum
Omnino inſtitui. At Ruben maturior annis
Ploranti bonus atque æquus ſua munera ceſſit.
Pergite iam, matres, inquit, nam ſemita longa eſt.
Hic ego, Bethlæos dum vos properatis in agros,
Seruabo interea fidus pomaria cuſtos.
Ergo alacres, ſummo geſtantes vertice textas
Viminibus corbes, dextrâ læuaque prehenſas,
Imus per nemora & ſaltus; ſonat vndique vallis
Paſtorum calamis; thymbræque, cedrique recentis
Latè odor efflatur. Mirantur munera veris,
Extanteſque roſas calathis, & frondea ſerta
Attonitæ paſſim matres, puerique, nuruſque,
Effuſæque ruunt pagis, atque agmina iungunt.
Venimus ad Pueri cunas, iam ſole cadente:
Primaque Daphra parens, poſtquam de more ſalutem
Obtulit; Hæc, inquit, Mater, tibi paucula noſtri
Munera vineti tulimus: folijsq; reductis
Explicuit dona; & ſalices, & iuncea rupit
Vincla manu. Genitrix, vt fraga rubentia vidit,
Et matutinis rorantia perſica gemmis,
Suſtulit ad cælum palmas, paulumq; morata

Ore ſuper ſtetit admirans: Vnde iſta repentè
Copia? queis, inquit, decerptæ in collibus vuæ?
Verſabatq; manu ridens, nunc Punica mala,
Nunc hos nunc illos flores: mox, ſedula prono
Vertice cuncta legens, texto de vimine botrum
Suſtulit ingentem, pueriq; admouit ocellis,
Blandè agitans teneras frondes, ramumq; virentē.
Nec minus hinc Zelphe, hinc Rachel, formoſaque Beris
Blandiri, autumnumq; manu prætendere ocellis.
Ille è faſciolis exertam porgere dextram,
Nudaque brachiola ad viſos proferre racemos.
Aſt ego ludentis pueri prenſare lacertos.
Quin etiam, memini, propior ſcitarier auſa
Infantis nomen; cui formoſiſſima, lætos
Aduertens oculos, IESUM inquit Mater; & iſto
Nomine Nazareis de finibus (addidit) olim
Monſtrum horrendum, immane, ingens arcebis Idume,
Vndecies poſtquam ſol ſigna recurrerit anni.
Sic genitrix pueri: teſtis mihi turba ſororum,
Quæ præſens aderat dictis: iamq: incipit annus
Fatalis, quem terrifico tunc ore canebat.
His ergo augurijs lætæ (nam ſydera toto
Iam ſcintillabant ſparſim nitidiſſima cælo)
Vltima cum lacrymis libauimus oſcula cunis.
Inde per obſcuram noctem, per cæca viarum,
Sublatis paleis ardentibus atque maniplis,
In patrios hilari cantu remeauimus agros.
Talia narrabat, cunctis mirantibus, Agar
Engaddea, olim præſens quæ viderat ipſa.
Atq; hinc Nazarij ſtatio gratiſſima pagi,
Incolæ vbi Maria & Ieſus, dulciſſima iam tum
Nomina, deliciæ, atque humilis ſolatia ruris.

Tum verò attonitis lux tandem cælica oborta eſt
Prodigio ingenti, ſpeſque improuiſa refulſit.
Nam ſenior Puero & Mariæ dilectus, vtrique
Iam dudum aſſuetus laribus, cui fœnore largo
Mentem animumq; Pater cæleſti afflauerat œſtro,
Alcindus vates geminas ad ſydera palmas
Suſtulit, & pluſquam mortali voce locutus:
Nazaridæ, Alcindi ſuprema hæc dicta tenete,
Quæ, Raguele, tuo ſub tecto, è ſedibus iſtis,
Teſtibus hiſque focis, prædico. Videbitis olim
Hunc regum antiquâ venientem è ſtirpe Puellum,
Sublimem Iſacidis dare iura, in ſpemq; vocare
Hæredes Regni ingentis; voſq; illius inter
Sceptra manus, velataque membra ſtupebitis oſtro,
Et ſtabili nexam fixo diademate frontem.
Abrami hæc veniet manes mihi fama ſub imos.
At precibus nobis placandum Numen Olympi,
Hæc ſi fortè pijs lacrymis arcana reuelet.
Spero equidem, mors atra priùs quàm luminis auram
Auferat, & veniens mortales exigat artus,
Dandum aliquid noſtræ, cælo miſerante, ſenectæ.
Sic reor haud dubijs ſignis; mihi præſcia namque
Vox ſonat interior longo iam tempore, *noſtris*
Eſſe Deum in terris. Sic ille: extremaq; dicta
Terræ ingens fragor, ac motus, tonitruq; ſecutum,
Quo domus, ac muri, & muris diſpoſta ſupellex
Stannea, & inſertæ lauri, menſæque moueri.
Continuò pauidæ matres in genua volutæ
Ieſſei vatis trepido ore euoluere carmen:
(a) *Cui Deus è Cælo adiutor, ſub præſide tanto*
Nil timeat: dicet Domino, tu rebus in arctis
Spes & perfugium. Nec ſecius aëre grando

Interea

(*a*) *Pſal.* 90.

Interea ruit, & venti transuerſa frementes
Incurrunt portis. Poſtquam verò vltima ventum
Ad promiſſa: *Olli longæuo namq; ſalutis*
Auctorem oſtendam, (dictu mirabile!) longè
Vox celsà veniens de nube audita per auras.
Ne trepidate, viri Iſacidæ: Solymeïa templa
Vere nouo petite, & ſacra ante altaria proni
Fundite rite preces. Magnum & memorabile, tandem
Arcanum vobis reſerabit Numen Olympi.
Hæc euenere hybernæ inter ruſtica brumæ
Otia; ſpes vnde agricolis magis aucta ſciendi
Quid tandem Puer ille ferat. Vox omnibus vna
Magnum aliquid terris portendi, animiſque, recurrunt
Multa audita olim; primique exordia veris
Cuncti expectabant; velut æger, tædia longæ
Perpeſſus noctis, venientem ſuſpicit axe
Auroram, queriturque diem ſolemque morantem.

LIBER OCTAVVS.

ARGUMENTUM.

Simon magus, adhuc adoleſcens, puellam virginem Samariæ ſacrificat Dæmoni; & magicis præſtigijs ſe Dei filium, vxoremque Selenen Deam in vulgus iactat. Deipara Virgo, & Ioſeph cæleſtem Puerum orant, vt ſe manifeſtet. Sed, vere ineunte, dum templum de more adeunt, in reditu IESVM ammittunt. Magus impoſtor Samaritanos in ſyluam cogit, quos Selene amore ſui, & prauis erroribus imbuit.

ATque hæc Nazareos dum ſpes tenet, almaque cælo
Lux veniens animis paulatim diſcutit vmbram;
Ecce repentinus rurſum permiſcuit vrbes
Iudææ, atque omnem turbo peragrauit Idumen,
Nubila cæca ferens, & ſeram in ſecula noctem.
Quæ nuper Libani vates, quæque hoſpes Ionas
Paulò ante, atque alij ventura horrenda canebant,
Euenere, metu & diro terrore, ſub ipſa
Anni ſupremæ funeſta exordia lunæ:
Exemplum memorandum olim, quid fœda libido,
Quid ſcelerata hominum veſania, quidue malignus
Humanis poſſit coniunctis viribus Orcus.
Scilicet his fretus vafer ille & proditor hoſtis
Con-

Conſilia & vultus tegit, horroremque metumque
Flagitijs aufert. Sic olim coniugis vſus
Illecebris primum decepit fraude parentem.
Sic ritus cultusq; feros, odia, arma, necesque,
Coniunctis hominum ſtudijs, vitioque potentum
Induxit terris: & nunc quoq; ſubdolus ijſdem
Artibus in ſuperos bella inſtaurare parabat.
Eſt, Silonem inter Samaræaq; mœnia, vicus
Nominis obſcuri Gitton; nunc diruta ſaxa
Relliquias pagi, lentoque iacentia circùm
Stagna immota lacu longè execrata viator
Prӕterit, & diris ſceleratum deuouet agrum.
Namq; hӕc (a) Semonis Sanghi natalibus olim
Infamis tellus; magicas hìc perfidus ollas,
Fatiferas ceras, infandaque plurima triſti
Valle exercebat: nunc illius & quoque flammis
Apparet ſemiuſta domus, defoſſaque luco
Spelunca ingenti, puteusq: altiſſimus, vnde
Carminibus manes ſupera ad conuexa ciebat.
Hic quondam, vt perhibent, extremâ è Perſidis orâ,
Patria in arua redux, Phœnicum conſtitit aruis;
Nondum excantandi ritus, penitusque nefandas
Edoctus leges, nondum penetrale ſub imum
Carmina ferre potens, necdum altè imbutus Auerno.
Aſt illic miro ſuccenſus amore puellӕ,
Quâ non Sidonijs fuit altera pulchrior oris,
Nec telas depingere acu ſolertior inter
Phœniſſas, famâ ante alias celeberrima cantrix;
Nil intentatum demens, nil liquit inauſum,
Siqua via inſano ſuccederet improba voto.
(Quid non cӕcus amor cogit?) nequiſſimus hoſpes,
Quò

(a) *Simon magus, ſic appellatus à Romanis.*

Quò demum Tyriâ queat vrbe abducere, ſeſe,
Atq; ipſam, & ſobolem venturam vouit Auerno,
Inq; vicem magicas in dotem acceperat artes,
Queis fretus tandem intempeſtâ nocte (*a*) Selenen
(Pellicis id nomen fuerat) tulit aëre prædo.
Hic erat ille Erebi vindex, quem Belphegor olim
Succeſſorem oneri, & ſtygijs promiſerat armis,
Si fors euentu ceſſiſſent bella ſiniſtro.
Huic ſpes innixæ, huic rerum nunc credita ſumma.
Ergo vrbes paſſim ſpectris, atque oppida Idumes
Implebat miris; tum primo in flore iuuentæ
Mentitus ſenium, mentitus vertice canos,
Rugoſamque cutem; viſus ſæpe æthere ferri
Obſcuro inuectus nimbo, nigrique caballi
Terga premens; viſus Iordanem vertere retro,
Omnigenaſque dapes accire, & pocula nutu;
Seque Deum, vxoremque Deam magno ore ferebat.
Hic demum, ſtygij monitu inſtinctuq; paredri,
Qui comes hærebat lateri, canis inſtar agreſtis,
Collectas ſyluis, & ſparſas vndique villis
Finitimas gentes Samari mediâ vrbe coëgit;
Impleuitque forum, ſpectacula mira ſequaci
Pollicitus vulgo: heu, quales habitura ſubinde
Euentus! quantam mox allatura ſuperbo
Lætitiam, faſtumque Erebo! Documenta puellis
Virginibus, procul à turbâ, rerumque nouarum
Inſano ſtrepitu, patrios ſeruare penates,
Atque æui incluſum penetralibus abdere florem.
Namque Palæſtinas inter pulcherrima virgo,
Paſtori dilecta Helymo, Thamar Galaditis,
Excantatoris ludos viſura frequentes,
Huc ſocijs comitata ſuis, redimitaque primis
Narciſſis, violisque comas, & tempora ſertis,
Vene-

(*a*) *Alij vocant Helenen.*

Venerat æquales inter lætiſſima nymphas:
Haſque inter medias viridi conſederat herbâ,
Succeſſu gaudens, & voti denique compos.
Scilicet hanc genitrix paulò ante inuita precantem,
Et miſerè flentem, rerumque cupidine tactam
Ire diu vetuit, dictiſque auerſa tenebat.
Nam quem concurſu in tanto iuuenumq; virûmq;
Acceſſum tentes? quò te immiſcere procaci,
Innuba virgo, inquit, vulgo; aut quam denique ſedem,
Quemue locum ſperes? Aluearia non ita denſæ
Intus apes ſtipant, tot confluit agminibus gens,
Cuncta illuc properans; inq; atram ludicra noctem
Fortè ibunt, reditumq; vetat via longa per agros.
Adde quod ille ſenex ciet ignes, aëra turbat,
Eque polo trepidam deducit murmure lunam;
Quaſque videt prædo raptas vehit axe puellas
Egregias formâ, & cæcis abſcondit in antris.
Addidit euentum Dinæ, vetitoſque hymenæos,
Quos traxit cupidæ muliebris cura puellæ.
Addidit & vetitas diuinis legibus artes
Pythonum, ludiſque nefas adſtare profanis.
Ne me, inquit, precibus victam, ne talibus, oro,
Obijce, nata, malis, quæ mens præſaga minatur.
Talibus ardentem lacrymis moritura tenebat.
Iamque animos dictis paulatim, incenſaque corda
Mollierat blandis, melioraque ſuaſerat ægræ;
Ni ſupplex iuuenis ſponſus, comiteſque puellæ
Vota inflammaſſent iterum, curamque leuaſſent
Circunfuſæ omnes. Lateri ſe fida iuuentus
Cuſtodem ſpondet: Quid vana pericula terrent?
Quæ te cunque aduerſa manent, vel ſi ruat axis,
Aut vi diſſiliat tellus, & nos quoque poſcunt:
Sors eadem cunctis. His mater denique victa,

Ægrè

Ægrè vtcunq; ferens, mediã penetrauit in vrbem
Vndantem populo, gnatamque ante ora locauit
Multa timens; propiorque Helymus trabe ſedit
acernâ
Armatus ferro, diſcrimen in omne paratus,
Euentum opperiens. Iamq; atria, ſummaq; tecta,
Iam ſpeculas infra ſupraque, aditusque viarum,
Atque altas turres plebs vndique denſa tenebat;
Attonitis inhians animis quid cogitet ingens
Promiſſor, quæ mira ferat; platanisque vetuſtis
Inſtiterant, magnoq; grauarant pondere ramos.
Cùm ſubitò effuſæ horribiles toto axe tenebræ,
Obſcuráque omnes, densáque in nocte relicti;
Non aliter, quàm ſi Phariâ caligine rurſum,
Velleribusq; ater piceis niger ingruat aër,
Inq; diem referent graue olentes Tartara fauces.
Interea procul aſpiciunt, quà perfidus alto
Suggeſtu, atq; vnâ meretrix conſederat, illic
Paulatim tenuem nubem exalbeſcere, qualis
Cernitur ex imâ interdum ſe tollere valle,
Aut humili vapor è ſtagno, ſub veſperis ortum.
Hæc lentè augeri, & magico ſplendeſcere ſenſim
Lumine multicolor, ſpectro intus turgida miro.
Ecce autem ante oculos (diræ præludia ſcenæ)
Marmoreus leo, quem quondam mediâ vrbe
locarant
Aſsyrij, cùm regna olim ditione teneret
Salmanaſar, rictus extemplo, & ſaxea mouit
Ora, deditq; ſonum, rugituque impulit auras.
Quo veluti ſigno admonitus ter mugijt Orcus,
Ter mota intremuit tellus; ſimul æthere opaco
Diffiſſa eſt nebula; & turbæ patulo ore tuenti
(Res incredibilis) cum pellice terribilis rex
Nube cauâ ſeptus mirandâ in luce refulſit,
Arduus

Arduus aëriâ in magna ſpectabilsi aulâ,
Numinis os, habitumq; gerens, & ferrea ſceptra,
Nubifero in ſolio. Poſtquam alta ſilentia pleno
Facta foro, vtque acies toruo circumtulit ore
Dicta parans, vt genua ſolo flex: vndique vidit
Perfidus; hæc tandem fœda execranda locutus.
(*a*) En, fortunatæ gentes, en denique vindex
Antiqui ſceleris, promiſſus vatibus ille
Numine progenitus, votis precibusque petitus,
Quem venturum olim ſacræ cecinere Sibullæ.
Quæ cauſa in terras è ſummis egerit aſtris,
Quidue ferat lateri mulier comes addita noſtro
Accipite, & memores animos aduertite dictis.
Ante chaos, primoſque ortus, & ſemina rerum
Hæc mihi nupta Dea; innumeriq; hinc vbere partu
Egreſſi in lucem, noſtrum genus, Angeli ab aluo.
Illi autem artifices rerum terramque polumque
Stelliferum, atq; hominum, pecudumque, atque omne natantum
Eduxere genus. Sed faſtu opibusque tumentes
Se dominos tali puduit genitrice creatos.
Deiecere polo, cum ſydereo comitatu
Natorum fido; atque ipſam per ſecula centum
Luſtraque bis ſeptem mortali compede vinctam,
Inque alia ex alijs transfuſam corpora, ſæuis
Exercent pœnis. Hinc illa Ennoïa primùm,
Poſt Beli coniux, Heleneque Argiua: Selenen
Nunc vulgus vocat. Heu pudor, atque infamia noſtri
Numinis! Hanc tandem Tyrio de fornice, probris
Turpibus affectam, ſubduximus. En Dea qualis!
Quæ facies olli! qui ſpiritus! Illius ergò
Veni-

(*a*) *Simonis commentum de Selene, & Angelis.* Ex Ireneo l. 1. c. 20.

Venimus ex alto in terras, genus omne rebelle
Cælituum vlturi, quorum diſcordia motu
Cuncta agitat vario. Illi hyemes, fera prælia, morbos
Immittunt terris; quāprimùm hæc omnia flammis
Hauſturi, dum quiſque ſibi moderamina rerum
Præſumit, cælumque manu in contraria raptant.
Hos ſimul è ſuperis imum detruſero in Orcum;
Hanc vrbem, ignotos terris quæ prima recepit,
Imperij ſedem ſtatuam; quam Nilus, & Indus,
Auroræq; amnes extremi, atque Orbis adorent.
At mihi vos, comitiq; Deæ, & mea iuſſa ſecutis
Cælicolis quondam genijs, quos nunc tenet horrens
Sub terris carcer, fraterno crimine ab altis
Sedibus excuſſos, nigram iugulate iuuencam;
Rite adhibete preces, ſacriſq; imponite flammis,
Ad Boream verſi, ſedes vbi regia noſtra eſt.
Sic ait: Et, ne quid furijs ſcelerique deeſſet,
(Horrendum dictu facinus, miſerabile, fœdum)
Matribus, atq; viris quærentibus vndique iuſſa
Dona cremanda rogis, iniecto errore repentè,
Obtulit ante oculos taurinâ fronte puellam,
Te, Virgo infelix, te, formoſiſſima Thamar,
Quæ præſens aderas. Sic viſa in luce malignâ es
Omnibus, obtutu toruo, palearibus horrens,
Pelle nigrâ, atq; imâ verrens veſtigia caudâ.
Centum illuc digiti intenti, conuerſaque centum
Protinus è tectis, è ſummis turribus ora.
Ipſa prior vidit, viſuq; exterrita mater
Portenti ignara, En vobis, en victima, ciues,
Ante oculos, inquit, ſertis & flore reuincta,
Sponte petens aras. Simul hæc, ſimul effera, cornu
(Sic rata) corripuit. Nec ſegnior ipſe timentem
Vrget agens Helymus. Medium cùm denique vulgus

Vi rumpens tenuit lanio, obſcuræque tabernæ
Ante fores traxit, multâ exundante catervâ
Circumquaq; virûm. Iam vulnus rite parabat
Mactator ferus: Ecce autem, dum brachia nudat,
Vaginâ exſoluens cultrum; dum teſtea vaſa
Subijciunt alij calidum exceptura cruorem;
Heu matri, heu ſponſo, de ſede tuentibus altâ
Triſte miniſterium, ſublata vtrique repente eſt
Ex oculis nubes magica; & natam illa trementem,
Et ſponſam hic miſeram, pallentem morte propinquâ,
Tendentemq; manus, & ſydera voce cientem
Infelix vidit: reliquos idem occupat error,
Et ſpecies mentita prior. Ruit excita monſtris
Per medios furibunda parens, te, nomine, Thamar,
(Namq; aliud quid agat?) te, gnata, heu victima Ditis,
Per denſos vlulans cœtus, per tela, per haſtas,
Prætentoſq; virûm chalybes. At pallida virgo
Interea iugulum cultro dabat, & fluit ater
Per gladium cruor, atq; imbutam ſanguine terram
Ore canes lambunt. Tunc mens quoq; reddita fidis
Virginibus ſocijs: flauos diſcerpere crines,
Et roſeas laniare genas. Exterritus amens
Ante omnes ſponſus; cui cæſa miſerrima nupta
Ante ora, heu! demens furijs immanibus actus,
Perq; ruens medios, lanium ſtricto enſe cruentum
Ter conatus adire, ſacris bis terq; repulſus,
Nequicquã & genibus nitens, aditumq; retentans,
Deuouit Samarim diris, numenque nefandum
Horrida vociferans: Tellus Samaræa, dehiſce,
Sacrilegoſq; viros abſorbe, atque impia tecta,
Meque ſuper; manifeſta Erebi namq; omina cerno:
Teque Deo genitum mentiris, perfide, cæco

Ex

Ex Orco impoſtor veniens. Iuuat ire ſub vmbras,
Inceſtamque diem fugere, execrandaq; ſacra.
Sic ait, & ferrum conuerſum in viſcera adegit,
Sanguine dans largo vitam. Huic comes addita
ſocrus,
Quæ ſine fine dabat gemitus, complexa cruentum
Natæ infelicis corpus. Nec ſecius amens,
Tænariæ ad lumen nubis ferale rubentis,
Lymphatum vulgus bacchari, & voce ciere
Te, Satan, comitesq; tuos, manesq; tremendos:
Te cælo immeritò excuſſum, te, Numen Olympi:
Te ſolum thure, & templis, atq; æthere dignum.
Haſq; inter voces, bacchantumq; orgia dira,
Paulatim infernum ſpectrum vaneſcere in auras,
Et fatui languere ignes, ac ſulphuris ater
Sentiri graue olentis odor, nox ſparſaq; Olympo.
Verùm adeò furijs gens cæca, atq; ebria Dite,
Inſanoque furens œſtro, vt diſcernere nemo
Clara tot indicijs veſtigia poſſet Auerni.
Per noctem obſcuram redeunt: vlulatibus arua
Reſponſant longè: ſtrepitus, ſtygijque cachinni
Auditi, manesq; agris diſcurrere viſi.
Hunc habuit fœdum promiſſa tragœdia finem.
At latè in populos, atque vrbes fama vagari
Aduenisse Deum Samaritis, qui iuga feſſis
Eximat Iſacidis; hunc claro in lumine viſum
Nube ſuper poſcentem aras; huic rite litatum
Urbe palàm mediâ; ſermonibus omnia vulgi
Miſceri magnis: ſuper omnia ſerpere rumor
Nazario in pago, & pauidos implere colonos.
Murmur erat, quale illud apum, cùm ruſticus
atro
Impleuit, flammâ crepitante, aluearia fumo:
Aut pluuiâ ingenti, diuerſis vndiq; riuis,
Cùm

Cùm tumet, atque ingens vnus rapido impete pontes,
Ingenteſque vehens ornos it turbidus amnis.
Ergo his commotus ſenior nutritor Iöſeph,
Cæleſtis Pueri cuſtos, pro Numine læſo
Saucius, & metuens ne conterranea dictis
Adijceret gens fortè animos; cum Coniuge diuâ
Contulit euentus, penituſque horrore metuque
Compleuit teneros ſenſus; iuuat ocyùs omnes
Obſtruere inſidijs aditus. Vtque anxia mater,
Si fortè ingruerit tempeſtas turbida noctu,
Confeſtim è ſtrato, ſummotis luce tenebris,
Peruigil it tecto paruos inuiſere natos;
Ne veniens turbo, neu tortus verberet imber:
Haud aliter Virgo præſentibus excita curis,
Proque ſuis iam tum mater fidiſſima alumnis,
Aſſenſit dictis, vnáque adiere Puellum,
Atque prior trepido Genitrix ſic ore locuta.
O ſuperûm, o cæli rector, mundi arbiter vnus,
Nate, audin' quæ bella vetus noua ſuſcitet hoſtis,
Virginis arma vltus, cæsâ ſibi nuper ad aras
Virgine Idumæâ? vtque homines adſciuerit vltra?
Vtque (nefas) falſo Iudæam numine tentet
Fallere, ſi queat, & ſtygios inducere cultus?
Per Genitorem oro, per ſancti Flamen Amoris,
Quod ſpiras, tetrâ caligine diſcute mentes
Nazaridum; Numenque tuum (ſi poſcimus æqua,
Si fas, Diue, precor) cæleſti in lumine pande.
Adiecit Pater, vt quondam Simeonis in vlnis
Promiſſa hæc eadem tulerat. Quin candida Virgo
Subdidit, vt naſcens diuinâ in luce videndum
Se dederat quondam paſtoribus; vtque remotos
Traxerat eoos, manifeſto Numine, reges.
Nunc eadem ſupplex Mater, genibuſque voluta

Illa-

Illacrymanſque rogo ; aut (tantum ſi tempora forſan
Ferre negant) ſaltem ſic te permitte videri,
Sic, inquam, vt pariter lateas, ceu nubila ſolem
Clara tegunt: tuque, alme, potes componere vtrumque.
Talibus inſtabat dictis, ſimul oſcula fronti
Plura dabat, lacrymisq; oculos implebat obortis.
Heu quales, miſeranda, paras tibi neſcia fletus!
Quanto emis hæc pretio! Lacrymis nam denique victus
Annuit ætherius Puer: at pro munere tanto
Addidit hanc legem, quam nunquam, Virgo, putaras,
Hanc, inquam, legem, patrias vt ſcilicet ædes
Deſereret fugiens, atque innoteſceret abſens;
Quò ſimul & notus foret, ereptusque lateret.
Atque vbi me regio procul hinc diuerſa tenebit,
Tunc, ait, amiſſum dabimus cognoſcere munus:
Namque aderit miſſus præco, qui nunciet iſtis
Conſediſſe Deum terris, hos Numen Olympi
Incoluiſſe lares: Tuq; , optima, parce querelis,
Parce Parens lacrymis. Sic ille. At ſaucia Virgo,
Prima fugæ vt ſenſit prænunciá carmina, vultus
Pallida deiecit, preſſoque obmutuit ore:
Nec vocem infelix habuit, nec verba, nec ipſas
In promptu lacrymas. Non hæc ſententia mentis,
Non hæc Mater amans vnquam moritura rogarat;
Nec reuocare licet, nec fas obſiſtere contra:
Auſa nec vlteriùs reſponſa laceſſere dura.
Hoc miſeram Gnatus lethali vulnere læſam,
Hoc duro fixam telo, exanimemq; reliquit.
Has inter curas tandem pulcherrimus aruis
Extulerat frontem redimitam floribus annus.

Iamque aderant votis optati tempora veris
Expectata diu, & precibus lacrymiſq; petita.
Nazarei rite ad Solymæ delubra frequentes,
Vt primùm illuxit, matres iuueneſque ſeneſque,
Agmine partito, campis florentibus ibant,
Alcindi vocem, & cœleſtia iuſſa ſecuti,
Audita ex alto paulò ante per otia brumæ.
Non edera antiquis intorta tenaciùs hæret
Parietibus; timida vt nodis, & nexibus arctis
Implicitum dextrà Puerum tenet anxia Virgo
Cuncta timens; & ſæpe oculis intenta reuiſit
Hærentem lateri comitem. Quid ſedula cura
Profuit? Heu! poſtquam ſolymeïa ab vrbe redibant,
Obtulerantq; preces moniti, conſuetaq; dona,
Illa quidem nati dextram memor vſque tenebat:
Sed miſeræ ex ipſo vix primùm limine templi
Egreſſæ, ætheriâ Diuinus Spiritus aurâ
Mortalem eripuit nubem, Numenque tueri,
Arcanumque dedit non enarrabile Verbum,
Cælum oculis referans, tecta immortalia Diuûm.
Dumque altè fruitur ſopitis ſenſibus, olli
Elapſum interea immemori, manibuſq; ſolutum
Eripuit Puerum, ſpeſque irrita ceſſit in auras.
Nec priùs aduertit Mater, quàm priſtina ſero
Veſpere mens redijt, ſomno velut excita. Tum ſe,
Tum comites circùm, & latus hinc atque hinc deſertum,
Atque manum vacuam cæleſti pignore ſenſit.
Quò non iactatæ voces, repetitaque Ieſu
Nomina, per muros pagi, per frondea luſtra,
Illatæque faces? quos non adiere penates
Mœrentes ſociæ per opaca ſilentia noctis?
Heu quid agant? quò ſe vertant? namque vndique ſtellis

Tempore iam longo cæli conuexa refulgent;
Nec fas nocturnum per iter veſtigia retro
Ferre per obſcuros calles, perque auia cæca:
Ire vetant trepidæ matres, arcentque volentem.
Semianimis, lugens, & acutâ cuſpide fixa,
Poſtquam altè ingruerat ſerò expectātibus vmbra,
Orba ſuo infelix Nato, caput obſita velo,
Singultusque ciens bona Virgo in tecta redibat:
Tota ſequebatur largo vicinia fletu.

Interea verò impoſtor, quem mouerat Orcus
Sydereum aduersùs Puerum, ſpe lætus inani,
Hoſte velut pulſo liber, campoque potitus,
Antiquam in ſyluam vulgus deduxerat ingens,
Agricolas Sichemitas, atque Amridis, omnes
Cultores Ephraim, & Therſæ, & Samaritidos orę.
Illic concilio in magno condixerat amens
Se legem è cælo miſſam, & noua iura daturum
Vulganda in populos: Aderat quoq; perfida vultu
Compoſito pellex, pulchroque incenderat ore
Ruſtica corda virûm; tali ſe compſerat arte,
Sic nitidis collum baccis, ſic tempora vere
Florifero ornarat, gemmisque ardebat & oſtro,
Nuda humeros, niueosque ſinus, & eburnea colla.
Nec minùs è roſeis manabant dulcia labris
Verba, quibus blandum ſæua inſpirabat amorem.
O mihi dilecta ante omnes Samaræa iuuentus,
Si me, progenitam cælo, non ſydera rurſum
Optarent reducem, ſi non in patria Olympi
Quamprimùm inueheret ſtellantia limina coniux;
Hæc ſedes, fateor, præ cunctis vna teneret
Immemorem cæli. Terras inuita relinquo,
Quodue queo, extremum lacrymis obteſtor amorem.
Vos contra, ſi quid merui, per numen vtrumque
Coniu-

Coniugis atque meum, vota inſtaurate quotannis,
Et memorem iurate fidem; meque axe ſupernam
Credite deſcendiſſe Deam. (*a*) Nil poſcimus vltra,
Nec leges alias pono. Sint libera cuique
Arbitria, & veſtros ad votum fingite mores;
Neue adeò immites poſthac imponite Diuos
Gentibus. O fruſtra cæcis terroribus acti
Huc vſque, & vanâ ſuperûm formidine luſi!
Talibus in ſpeciem blandis nequiſſima virus
Condibat dictis. Frondentibus orgia ſyluis
Interea, lætisque choris, largoque lyæo,
Infernis epulis noctem gens capta trahebat;
Mentitamque Deam ſtupet, ardeſcitque tuendo,
Tam bellè ad lunam pictos mouet arte cothurnos,
Sic veſtem rotat auratam, gemmisque micantem
Pſaltria, ſic miſeros obtutibus vrit amantes.



(*a*) Ex D. Ireneo l. 1. c. 20.

LIBER NONVS.

ARGUMENTUM.

Oppidani, irrito ſucceſſu, & nouis infortuniјs, IESVM veſtigant. Tandem Deiparæ querelis motus Deus Pater Angelum mittit, qui primùm, viatoris ſenis habitu, Puerum indicat; deinde excantatoris præſtigias in ſyluæ diſſipat. IESVS in templo Patribus ſubobſcurè ſe manifeſtat. Denique Matri redditus, in patrium oppidum cæleſti comitatu regrediens, à Nazarenis DEVS agnoſcitur.

VÆ quibus hæc pellex gemmato præbuit auro
Toxica! væ populis, quos illa afflauerit ore!
Væ quibus inque aures fatali murmure cantrix
Verba ſuſurrauit! Nam nunc quoq; ſubdola vultus
In varios, inq; ora migrat; peſtemque per vrbes
Incedens, lethumque vehit mortalibus ægris.
Fabula narratur, ſeclis confiſta vetuſtis,
Nec vero abſimilis. (*a*) Nam poſtquam perfida tandem
Morte obitâ (vt perhibent) Stygium ſtetit ante tribunal;

Ieſſeo

(*a*) *Hæreſes Manichæorum, Ebionitarum, & Arianorum vnde ortæ.*

Ieſſeo ecquid de Puero tot damna ferente
Sentiret, procerum perijt niger vndique cœtus.
Illa autem, Quantum potui mortalibus, inquit,
Explorare oculis, (quidquid gens falſa ſuſurret)
Nil mortale ſuper vidi. Tum celſa Manetes
Tempora concutiens, proceraque cornua: In illo
(Mentiris) ficto latet, inquit, corpore Numen,
Nec verum hunc hominem temerarius afferat vllus.
Aſſerit extemplo Beïon, magno ore refellens
Dicta, Deumque negat; ſi quis putat, huic ferus amens
Intendit litem & bellum. At putat eſſe Riarnus
Exurgens contra; contenditque arduus alto
Numine progenitum, magno Genitore minorem.
Paulatim incaluere animi, diſcordibus iræ
Mentibus erupere, atque implacabilis orta
Seditio; inque has inque illas Styx didita partes.
Mens eſt Tartareis genijs immobilis. Ante
Verſus eat Padus, aut duro ſe robore flectat
Quercus humi, quàm quod ſemel aſſeruere retractent.
Ergo inteſtini immortalia ſemina belli
Iacta Erebo fuerant; niſi dira venefica prompto
Conſilio illatas ſedaſſet prouida turbas.
Scilicet hoc, inquit, velit hoſtis; vt ille ſupremum
Dum vobis parat excidium, noua regnaque condit;
Vos furor, & rixæ teneant, & mutua bella.
Quin agite, &, quando ſedet hæc ſententia diſcors,
Hæc eadem veſtris proſit diſcordia rebus.
Hos ferite errores terris, hanc ſpargite labem
Vtiliter, ſocij; ſua quiſque ad ſigna ſequaces

Mortales trahat: ipſi autem in ſua damna viciſſim
Hanc veſtram dirimant odijs & ſanguine litem.
Sic ait: inferno placuit ſententia regi;
Collatiſque ſimul ceruicibus, aſſenſere
Concordes omnes. Illi data cura per orbem
Ferre tot ambiguas tricas, quas ſæua ſub Orco
Edidicit priùs, & libros digeſſit in amplos
Per capita. Inde dolis inſtructa, atq; arte nocendi,
Protinus Ægyptum, atq: Afros, Aſiamque per
omnem,
Nunc has nunc illas Erebi ſibi ſedula turmas
Adiungens, tabem latè & contagia ſparſit.
Ex illo quis acerba virûm, quis funera fando,
Fataleſque vices memoret? Nuſquam illa quie[illegible]
Tot ſeſe in facies vertit, tot nomina ſumit [illegible]
Vrbibus opponens vrbes, regna aſpera regn[illegible]
Nec mora, nec requies; volat exitialis Erinnys,
Hoſtis acerba, ferox, ciuili ſanguine gaudens,
Ambitioſa, tenax, popularis, perfida, mendax.
Hoc, ſuperi, monſtrum, hanc terris auertite
peſtem.
Sed iam puniceos ſurgens aurora penates,
Allatura diem, roſeo reſerarat Olympo.
Nazarei verò loca per ſylueſtria circùm
Nequicquam exierant; atq; arua, atque oppida
latè
Vndiq; luſtrarant, Carmelum, Galgala, & omnem
Iordanis vallem. Verùm ſpes irrita rurſum,
Proiectuſq; labor. Quin cælo effuſa procella
Sub noctem improuiſa ruens, commixtaq; grando
Terruerat cunctos, profugique in tecta redibant.
Accidit & feſſis aliud miſerabile. Namque
Illa recens hoſpes ruris, quam diximus, Agar
Engaddea, inter fremitus & murmura venti,

Vaſtum

Vaſtum ingreſſa nemus; perplexa per auia ſyluæ,
Vltima dum ſequitur comites ignara viarum;
Olli ſurreptum violento turbine velum,
Delatumque procul dumoſo ceſpiti inhæſit,
Iniecitq; moram. Ruit imbrifer in faciem Auſter,
Inque ſinum, vittasque rapit, veſtesq; capilloſq;
Inſequiturque horrens nimbis pluuialibus æther.
Nequicquam ſocias, quas impetus ocyor Euro
Præcipites agit, infelix clamore vocabat;
Nec meminit callis, nec quò ſe tramite ducat:
Pallentemque metu nox denique cæca tenebris
Occupat errantem; collectisque omnibus, vna
Defuit ipſa etiam, & ſponſum, comitesq; fefellit.
Ta[illegible]s implicitum mens prouida Numinis arte
[illegible] intexuerat mirum; quò lætior inde
[illegible] extremus foret, atque in gaudia tandem
C[illegible]ngens, luctusque, & longus mœror abirent.
Iamq; fere medium ſtellatâ in veſte tenebat
Humida nox curſum, & pluuiæ ventiq; quierant,
Nec ſonitus nec murmur erat, niſi fontium ab altis
Stillantum ripis, & moti leniter Auſtri.
Ipſe procul ſomnos labenti flumine torrens
Conciliat, longèque canum latratibus arua
Reſponſant; tacito dum curru argentea luna
Alta polo incedit per opaca ſilentia mundi.
Heu miſera, heu ſola in tenebris ſanctiſſima Mater,
Quanquam laſſa viæ, ſecreto incluſa cubili,
Caſum infelicem lacrymoſo carmine flebat.
Et fletum augebat vicinus lectulus ille,
Sed vacuus, quo membra Puer componere ſuerat:
Cynthia nam pleno lucens ex æthere cornu
Cuncta oſtendebat manifeſto lumine: nunc frons,
Nunc decor, & facies, & viua abſentis imago

Ante oculos redeunt, nunc vox, heſternaque dicta.
Heu ſe deſertam, tenebroſâ in nocte relictam,
Confuſamq; malis! Nam quid, pulcherrime rerum,
Quid tantum, aiebat, potui delinquere mater,
Mater amans? Te, ſumme Pater, te conſcia teſtor,
Non aliud petij, aut volui (quantùm ægra recordor)
Quam meus vt Natus, præſenti numine, certam
Ferret opem feſſis; tamen vt ſimul ille lateret:
Hæc mens, hic animus fuit: at non vt miſeram me
Deſereret fugiens: has vnquam velle latebras
Orando potui? hæc Genitrix mihi vulnera ferre?
Hæc lacrymis precibusque in me conuertere tela?
O patria! ò triſtes deſolatique penates!
O domus infelix! At iam nunc ſera querelis
Tempora: debueram, cùm primùm conſcia caſus,
Nocte remetiri veſtigia; cunctaque ſolers,
Dum iactura recens, exquirere; tale nec vlli
Antea oportuerat poſcenti credere pignus;
Nec ſinere ipſa manu prenſum diuellier vnquam.
Nunc quid ago? quò me, infelix & ſaucia, verto
Orba parens, deſerta, ſtupens, confuſaque luctu?
Quam ſuperûm nemo alloquitur, penitusque relictam
E cælo inuiſit nemo; nam te, Puer alme,
Sublato, vidua hæc poſthac quis limina curet?
Hic meus eſt dolor, hoc vulnus; tibi, ſancte puelle,
Diſplicuiſſe aliquid, quo læſus, matre relictâ,
Fugeris ad ſuperos; nec verba extrema dolentis
Ferre, nec amplexus voluiſſe, nec vltima laſſæ
Oſcula plorantis: cur ægram, Nate, Parentem
Sic fugis? Hic, rupto lacrymarum gurgite, flebat,
Nixa toro laſſam ceruicem; & multa volentem

Dicere prælargæ & calidæ lacrymæ impediebant,
Queis oculi, vultusq; pluunt, veſteſque ſinuſque,
Et madet ipſe torus. Superûm mœſtiſſimus aſtat
Septus nube chorus, miſerans graue vulnus amantis.
Nam Deus ipſe Pater cunctis præceperat ante
Cælitibus, ne quis latebras, & furta doceret;
Nec pietas quenquam miſeræ, aut lamenta mouerent.
Heu! cælum tetigit mœror quoque. Nigra repentè
Delituit luna in nimbo; rurſum tonat axis,
Inſequiturq; imber, denſarumq; agmina aquarum,
Fulguraque, & grando; veluti ſi corruat æther
In præceps, iungantque ſuos pia ſydera fletus.
At cæli terræq; Sator, cui iuſta peracta
Virginei tandem viſa eſt menſura doloris;
Non vltra ingentem paſſus procedere curam.
Ergo ad ſe genium Mariæ vocat ore ſereno,
Finem allaturus lacrymis. Iubet illico tranet
Nubila, opemq; ferat, fletusq; abſtergat amaros
Parthenidi, & ſocijs: exin mendacia ſæui
Excantatoris retegat, penituſque reſoluat
Tænarias fraudes. Libani de vertice iam ſol
Extulerat matutina inter ſydera currum;
Diſpuleratque Auſtrum ſummis de collibus aura
Carmeli ſpirans. Ille æthere lapſus ab alto,
Aërijs poſitis pennis, nitidâque iuuentâ,
Induit ora ſenis Solymâ venientis; anhelaque
Ora labore viæ, greſſumque imitatur euntis.
Nazareæ interea matres per proxima rura
Sollicitæ exierant, primi ſub luminis ortum:
Ante alias verò triſtiſſima Parthenis ibat,
Quam fidæ comites Debora, & Suſanna ſequuntur.

Has vbi proſpexit viridi è conualle viator,
(Virgo tamen prior haud longè conſederat ægra)
Aſtitit ante oculos, atque hæc prior ore locutus.
Dicite, montiuagæ matres, quot adhuc ſtadia vſque
In iuga oliuiferæ Sunæ? læua hæccine tuta
Semita? an à fluuio dextrorſum tendimus? Olli
Suſanna: Exiguum ſupereſt iter: amne ſecundo
Carpe viam, quà prona ferunt decliuia vallis.
At vos, excepit ſenior, quæ cura vagantes
Huc egit? quidue illa procul comes altera plorat?
Quoue tenetis iter? Largo cui Debbora fletu,
Ah pater! haud, inquit, noſtræ tibi nomen ad aures
Fors vnquam acciderit Mariæ. Non vlla ſub axe
Sanctior in terris; nec fas modò ſingula fando
Enarrare tibi. Sed nunc triſtiſſima natum,
Cui non vlla parem tulit ætas, nec feret vſquam,
Iam dudum vaga per montes, perq; oppida quærit
Amiſſum, vt remur, Solymis. Stetit arte viator,
Multa animo veluti reputans; læuâque prehenſo
Incubuit mento, paulùmque obtutibus hæſit
Intentis, nutu pendente. Inde ora ſerenans,
Quæ Pueri ſpecies? os? ætas? & color? inquit:
Hunc ego fortaſſe... Hic trepidis ſimul vtraque dictis
Lætitiâ abruptis (tanto ſpes impete oborta)
Ambæ ſollicitæ faciem, veſtemque, coloremque,
Ætatem, crinem, vocem, inceſſumque docebant,
Sicubi vidiſſet fortè vnquam, aut ſicubi quicquã
Audiſſet. Solymis, ait ille, ſimillimus (ibam
Nunc equidem recolens) ſacrâ Salomonis in æde
Nuper erat. Sed enim (veniam permittite dictis)
Pul-

Pulchrior illa oris ſpecies, quàm patria vobis
Ferre queat tellus; nec talem viderit vſquam
Mortalis, reor: & certè tam rara venuſtas
Cæleſti de ſtirpe venit. Tantò altiùs illæ
Tollere ſpem lætæ, & viuis depingere pulchra
Ora modis, aliijsque ſuper muliebribus ambæ
Indicijs inſtare nouis. Vbi plurima verò,
Vt ſolet, hinc atque hinc dubia explorata; viator
Longum iter, atq; alias laſſus prætendere curas:
Iam ſinite hinc abeam, nam ſemita longior vrget
In patrios colles. Simul hæc, ſimul ore ſereno
Accedens propiùs, ſecretò affatus ad aurem eſt.
O fortunatæ! Tanto iam tempore vobis
Lux demiſſa polo; nec veſtris credita terris
Munera noſtis adhuc? Vobis Regnator Olympi
Sorte datus, veſtris Numen latet hoſpes in oris.
Ocyùs accelerate gradus, contendite curſu
In ſacras ædes: Deus eſt, Deus ille Puellus,
Quem veſtigatis. Tum demum fulguris inſtar
Cælica lux animis fulſit. Pauor & metus ingens
Principiò attonitas tenuit: dein vocibus altis
Lætitiæ vaſtum nemus impleuere: Maria,
Huc ades, inuentus Puer eſt: ſonat vndique vallis
Inuentum inuentum Ieſum. Quàm ſæpe videmus
Noctibus æſtiuis clareſcere cuncta repentè
Ignibus ictu oculi ſparſis, quâ luce renident
Tecta atque arua procul, priùs atrâ abſcondita noctè;
Virginis haud aliter vox improuiſa tenebras
Diſpulit ex animo. Iuuat vſq; atque vſq; morari,
Atque audire ſui certa argumenta Puelli;
Singula nec finis, nunc hæc nunc illa rogandi.
Sed non ferre moram ſenior: Vos ite, monebat,
Dum permittit adhuc ſol altior axe: cauete,

Nam, ſi quando vnquam, rapido ſe gurgite torquet
Imbre Ciſon nocturno auctus, qui flumine oberrans
Hinc rurſum tranandus erit; neu fidite ponti.
Haud procul ad ſtadium tenſo vos cymbula fune
Tranſuehet; inde ferent trito veſtigia calle.
His lætæ indicijs matres diuina canentes
Deterſis lacrymis ibant; ceu roſcidus aër
Cùm liber pluuijs hinc ſolem parte ſerenâ
Explicat, hinc pictum fuſcis de nubibus arcum.
  Poſtquam animos verò curâ ſatis ille leuarat,
Protinus hinc geminis nitens ſe ſuſtulit alis
Obſcurum in lucum, quo noctem exegerat omnem
Turbinis acta metu per teſqua ſilentia nuper
Errabunda Agar. Peregrini inſignia mira
Aliger induerat, queis territa nympha repente eſt:
Namque humeros exomis obit taurina, marinis
Aſſutis cochleis, ad tornum haſtile peractum
Dextra gerit, medio vincta hæret ſarcina tergo.
Piceni qualis ſub ſole viator in agris
Virgineas ædes tranſuectas Itala in arua
Puluerulentus adit; tali ſub imagine ſeſe
Obtulit in ſpeciem flenti, cauſaſque popoſcit;
Vnde domo, quæ ſors profugam, quiſue egerit error?
Atque vbi rem didicit, terge, inquit, fletibus ora,
Pone metum: lateri comes addere: præuius ipſe
Pauliſper perplexa regam veſtigia; donec
(Nec mora longa viæ) certo te tramite ſiſtam.
Haud procul hinc nemus illud erat ſeptum vndiq; taxo
Ilicibuſque nigris, ſtatio ſylueſtris auerni;
Quò turbam innumeram, & lamias, ſcortumque Selenen,

Ac centum vario Cacodæmonas egerat ore
Sacrilegus Simon. Illic tum fortè ſub vlmis,
Et denſis piceis, platanûmque ſilentibus vmbris,
Quà media horrendo patet ingens area luco,
Argento grauia, atque auro, dapibuſque ſuperba
Duxerat in magnum conuiuia ſplendida gyrum.
Corpora taurorum, aprorumque ingentia fumant
Lancibus in magnis; ſparſo fœda omnia Baccho:
Lætitiæ inſano ſtrepitu nemus omne reſultat.
Iamq; aberant quantum longè vox miſſa per auras
Audiri poterat; greſſumque coërcuit Ales,
Ne comes obſcœnas menſas, epulaſque videret.
Atque illam immemori ſimilis, ceruice reflexà,
Amiſſi Pueri (Pueri namque inter eundum
Caſum enarrabat) nomen rogat: inde puellæ
Hoc tu, inquit, nomen, Cæloque, Ereboque tremendum,
Verſa illuc, ſonus vnde atris de frondibus exit,
Ore voca. Illa altè diſtento pectore, & aurâ
Collectâ, quanto potuit iacere impete, IESVM
Intonuit. Dictu mirabile! protinus omnis
Intremuit lucus, pateræque, effuſaque vina,
Concuſſique abaci, atque argentea lapſa ſupellex.
Altiùs exclama, iubet Aliger: altiùs illa
IESUM iterum vocat. Ecce autem de faucibus imis
Conuiuæ ſtygij, quorum intermixta ſedebat
Turba ingens, redimita ederis, taxoque nigranti,
Exeruere atras immundo ſanguine linguas.
Tertia ſed poſtquam cælo vox clarior acta,
Non tulit vltra Erebus nomen; ventoque coorto,
Omnia diffugére repentè, vt fumus in auras.
Tunc ora attollens Agar fuſco aëre vidit
Nigro in equo fugientem equitem, volucrique dracone

In-

Inuectam comitem ſagam per inania ferri.
Tum meminit monſtri horrendi, quod Parthenis olim
Præſcia fatidico prædixerat ore fugandum:
Quæ loca? quod ſpectrum? vultu exanimata popoſcit.
Non hæc tempus, ait ductor: iam ſumma peracta:
Inde ſcies. Extrema vocant me iuſſa Tonantis.
Hic ore exanguem diuus peregrinus agreſtem,
Ignaram euentûs, vmbroſo in calle reliquit:
Atque hanc carpe viam, dixit, quæ certa Puello
Obuia ſub noctem reduci veſtigia iunget.
Sic ait: ipſe autem ſubijt penetralia terræ
Promiſſi memor; & ſuperas euexit ad auras
Infantum exiguas animas, quas vallis opacæ
Abdidit in latebris: exin Iordanis ad amnem,
Ad Puerum vatem roſeis ſe contulit alis.
Et iam dulce iter exactum, finemque laborum
Aduentare queror. Meus inter carmina iam Sol
Paulatim cadit, & laſſis ſuperinijcit vmbram,
Otiaque indicit, & longa ſilentia muſis.
Quas tibi, Diua Parens, referam ſanctiſſima grates,
Quæ me iam tandem, tenui vaſta æquora lembo
Sulcantem, in portum deduxeris; haſque canenti
Obtuleris mihi delicias, ſolatia feſſo,
Quandiu in hâc exul mortali demoror vmbrâ?
Heu! nunc orba finis mihi plectra, amiſſaque plorant
Otia mœrentes iuga per deſerta Camœnæ!
At, quando hæc operis meta, atq; hic terminus hæret,
Carminibusque meis extremùm te alloquor, alma
Nazari; per duros quos paſſa hucuſque labores,
Perque

Perque tuum inuentum Puerum; quem lęta reduces
Quamprimùm in patrias ædes; ò rebus in arctis
Vnica ſpes, ægriſque ſalus mortalibus, audi
Seruatas hucusque preces, ſupremaque vota.
Aſpice terrarum quantum gemino regat orbe,
Quà cadit, exoriturque dies, Regnator Iberi
Carolus. Huic ſobolem coniunctis orbis vterque
Fletibus implorat. Populorum flexa rogantum,
O Diua Heſperiæ cuſtos, tutelaque regum
Auſtriadum, ſceptri hæredem impertire querelis.
Tuque (*a*) nouæ vxori, quæ nunc maria aſpera tranat,
Partheni, ſtella maris, cui venti & nubila parent,
Sterne æquor placidum, tempeſtatesque coërce.
Huc ò deinde, Parens, oculos mitiſſima verte
Romulidum ad Regem, tenerâ iam ſceptra gerentem
Bina manu. Odryſij creſcentem in fata tyranni
Auguſtum Puerum ſerua. Magni ille parentis
Fortia facta, animi non eluctabile robur
Rebus in aduerſis, æquam inter proſpera mentem,
Synceramque fidem primis meditetur ab annis.
Aſpice poſtremò ſciſſam latè vndique bellis
Europam, miſerasque vrbes data pabula flammis.
Tu potes hanc atram nutu ſedare procellam,
Et ſimul inuicti Leopoldi Cæſaris armis
Fræna recuſantem penitus ſubmittere Thracem:
Romuleo vt tandem è ſolio (*b*) Pater atq; Sacerdos
Maximus, Adriaci decus immortale Senatûs,
Cernat adoratum nomen circùm vndique IESU,
Pacatoſque dies, atque vnum Paſtor ouile.
Hæc precor, hæc ſupplex extremo carmine poſco.

Interea,

(*a*) *Maria Anna Neoburgenſis.*
(*b*) *Alexan. VIII. Pont. Max.*

Interea, quod reſtat adhuc, mihi proxima ripæ
Dirige vela ratis, Virgo; Tu ſuffice puppi
(Namque parum ſupereſt) vicina in littora ventos.
Ergo in delubro auguſto, Solymeïâ in vrbe,
Turbam inter ſtrepitumque Puer regnator Olympi
Concilio intererat magno. Tum fortè, coactis
Patribus & populo; (vt ſeries atque ordo ferebat
Commenti ſacri) Hebdomadas Danielis aheno
E roſtro Azarias interpres rite docebat.
Fortè autem præſens aderat ſublimis in altâ
Sede Arimathenſis Ioſeph: iſque, ora frequentis
Dum populi luſtrat, ſtantem è regione Puellum
Cæleſtem vidit; fixiſque obtutibus amens,
Attonituſque, diuque ſilens, immobilis hæſit.
Nec minùs interea vultu ſtupefactus eodem
Mentis inops, faciem, veſtes, & ſingula mirans
Longæuus iuxta (*a*) ſenior pendebat ab ore.
Hunc cubito tangens comitem, lateriq; propinquũ,
Leuâ ante ora manu poſitâ, vicinus ad aurem,
Sic Arimathenſis ſubmiſsâ voce locutus.
Aſpicis illum, oculis, & crine, & iänthino amictu
Inſignem puerum, ſtrata inter palmea, ſacris
Intentum dictis? Proh Diuûm abſcondita miris
Arcana in tenebris! Hunc ipſum (ſydera teſtor,
Atq; adyta hæc, ſanctoſq; lares) hunc prorſus eundem,
Nuſquam aliàs viſum, noctu per ſomnia vidi:
Atque adeò demens feror, vt noua ſomnia credã
Hæc eadem, quæ nunc oculis præſentia cerno.
Ille videbatur malefidæ ante ora cauernæ
Ludere, dumque manum rimis inſertat opacis,
Illic tellure abſtruſum irritauerat anguem
(Nam digitos fortè intulerat quà regulus ingens
Abdi-

(*a*) *Nicodemus.*

Abdiderat ſeſe) egreſſumque repentè refugit
Attollentem iras: Procul o procul, vndiq; agreſtũ
Conclamat trepidè vicinia vocibus hydrum
Longè abſterrentum. Cùm deniq; in ardua pennas
Improuisò humeris natas (mirabile viſu)
Explicuit cælo Puer, eluſoque colubro,
Longo interuallo liquidum per inane volabat.
Ipſe oculis tractu ingenti curſuque ſequebar;
Cùm demum aëriæ frondoſo in vertice palmæ,
Ceu volucris ſublata metu, quam terruit auceps,
Conſtitit. At genitrix clamoribus excita longè,
Perque viam pede nixa ſuper, cæſoque cruento
Prædone, infelix aderat; ſed corpore toto
Denſa inter folia abſtruſus pulcherrimus infans
Se circùm plumis obſtrictum incluſerat albis,
Nec poterat cerni. Finem euentumque tueri
Vt cuperem, potes ipſe animo tibi fingere. Somnus
Heu me deſeruit, trepidum quò talia demum
Deſierint. Sic ille. Senex tunc alter ad axem
Suſtulit ora, manuſque ambas; poſt multaque vocem
Vix tandem expedijt: Deus eſt, Deus abditus iſto
Certè, ait, in nodo. Somnus quà deſijt, inquit,
Hic tuus, hinc nexu arcano meus incipit. Ipſe
Penniger Infantis (quando hæc tibi cura relicta)
Succeſſum referam. Per ſcabri corticis ambo
Ardua connixi genibus, manibuſque prehenſum
Amplexi truncum, valido luctamine; tandem
Ægrè, vi multà, in ramos euaſimus altos.
Heu pietas! Geminis alis vtrinque reductis,
Vidimus exanguem faciem, reſperſaque viuo
Sanguine membra: latus longo traiecerat illi
Ruſticus infixo venabulo; &, hei mihi! ſqualens

Pende-

Pendebat niueo ex humero pulcherrima ceruix.
Nos Puerum in prato exanimem diſtendimus inter
Purpureos flores, & hiantia vulnera riuo
Lauimus; inde, vt erat, ferali in ſindone Matri
Ploranti tulimus. Tres illic crine ſoluto
Lugebant mœſtæ comites, quæ myrrhina odori
Vaſcula contulerant aloës; interque dolentum
Fœmineas voces, luctuſque reliquimus. Hic me
Heu pariter laſſum triſtiſſima liquit imago.
Talibus inter ſe dictis miranda viciſſim
Ore ſuſurrabant ambo, lacrymaſque ciebant.
Ecce autem interea Mater, quæ denique feſſis
Cum ſocijs, ſpatio emenſo, delubra ſubibat,
Sollicita explorans oculis ſua pignora. Veſtes,
Et capitis velum, & fletûs veſtigia, prorſus
Talia cernere erat præſenti, qualia ſomnus
Pinxerat. Obſtupuere ſenes magis: illico viſa
Ora recognoſcunt memores: En illa, tremendum
Quæ pede calcarat ſerpentem: En illa, peremptũ
Cui nos detulimus natum. Flagrabat vterque
Quamprimùm affari peregrinos: atque, vbi tandẽ
Interpres legis longo poſt plurima finem
Eloquio impoſuit, conuenere illico Natum;
Et genus, atque iter, & nomen, patriamque,
rogabant.
Adfuit ipſe etiam cano venerabilis ore
Azarias pater, admirans reſponſa loquentis;
Et multùm illacrymans ſenior bonus, indolis almę
Vim promptam variâ circùm ire indagine gaudet.
Quin etiam hebdomadas Danielis, themata nuper
Propoſita, ac diſcuſſa palàm, ſcitarier auſus.
Cui Puer æthetius cæleſti in luce refulgens
Sic turbâ in mediâ fatus: *Iam temporis ætas*
Præfixa hebdomadum venit, quâ victima Sanctus
Occi-

Occidendus; & hunc veſtris in collibus Arbos
Funerea excipiet. Veſtrûm par nobile rite
Exequias ſoluet. Poſt hæc vaſtatio, luctus,
Et populi excidium. Noſtri hæc oracula vatis.
Sic ait: obſtupuere omnes; ſtetit ipſe ſacerdos
Attonitus dictis. Heſternæ ſomnia noctis
Agnouere ſenes: Hic eſt Puer ille cruentus:
Hæc erat illa Arbor; noſque, vt reor, vltimus iſte
Poſcit honos tumuli. Subitus circumſtetit horror
Perculſas mentes: comites ſeſe addere furtim,
Atque oculis ſeruare iuuat veſtigia longè;
Quò tendant, quò ſe demum tanta omina vertant.
Ergo age, qui reditus fuerit, queis verſaque miris
Vltima ſcena modis, vtque alta arcana retecta,
Oſtenſuſque Puer, finis, pretiumque laborum.
Nox erat, & lunam nubes incluſerat atra;
Necdum Parthenidis cuſtos, Ieſſeaque Virgo,
Debboraq; atque Agar profuga, & Suſanna redibant.
Nazaridum vulgus iam triſtia voluere ſecum
Cœperat auguria, atque illas quoque per loca vaſta
Diſperſas; pluuijſque auctos ſine pontibus amnes,
Abruptaſque vias imbri, noctemque timebant.
Augerique magis cura, intendentibus atris
Se cœlo tenebris; mœſtique extra oppida, opaco
Sub dio, ancipites ſtabant. Vbi plurima verò
Irrita nox fluxit, nec iam ſpes vlla videndi,
Et latè loca cuncta ſilent; quis triſtia fando
Lamenta, & gemitus, deſperantumue querelas
Explicet? Hìc Ieſſe, hìc Ammon, hic crine ſoluto
Dina gemens, & pulchra Eſther, innuptaque Zambris,

Et

Et ſenior Ionas, Ierichuntaque, Eliſaque plorans:
Luctus erat, qualis tecto cùm mater, & orba
Sponſa recens funus plorant, ſponſique cadauer
Ædibus effertur. Non ſi ferus irruat hoſtis
Vaſtator, tantus ſe tollat clamor ad auras.
Ecce autem hos inter queſtus fax viſa per vmbram
Aduentare procul, quam multo lumine clarus
Pelliceâ hirſutus zonâ puer igne ferebat
Flammantem largo; facieſq; humerique nitebant
Eminus, atque ſinus, atque ora. Vt Phoſphorus axe
Pingitur auroræ roſeis anteire quadrigis,
Purpureamque aperire diem mortalibus ægris:
Haud ſecus auratâ Præcurſor Numinis atram
Findebat noctem faculâ; vox claraque cœpit
Audiri longè. Huc illum deduxerat Ales
Aëre ſublatum, per opaca ſilentia noctis,
Lucem allaturum, & mœſtæ ſolatia genti.
Iamque aderat propiùs, roſeoque hæc ore locutus:
Quid verò hic triſtes flendo conſumitis horas?
Nec ſubit interea redeunti occurrere Matri,
Quæ Ieſum reuehit? Vobis huc nuncius adſum
Numinis inuenti. Simul hæc, ſimul igne coruſcâ
Obuertit cedrinam tedam, turbæque præibat;
Perque viam, magicas vt nuper ſoluerit Agar
Inſidias, vtque arma priùs Juditha Gehennæ
Fuderit, vtque eadem thalamis adiuncta ſupernis;
Tum Pueri abſentis miranda arcana docebat.
Protinus auditi litui, & lux eminus ardens
Viſa per obſcuras multo igne incedere frondes.
Zacharides iuſſit turbam diſcedere vtrinque
Partitam ordinibus longis; duxque agminis ipſe,
Inſtructorque ibat medius; ſpatioque relicto
Hinc

Hinc atque inde, viam Matri, Pueroque parabat.
Tum patrium intonuit nemoroſa per auia carmen,
Aduentante Deo: viſi ſubſidere colles
Palmiferi, trepidare metu, tremere omnia circùm.
Principiò labarum cæleſte apparuit haſtâ
Defixum ingenti, quam princeps ſuſtinet ales,
Inter clara tubæ præeuntis carmina. Centum
Hinc atque hinc aderant, ceris ardentibus, oſtro
Et byſſo inſignes iuuenes. Comitantur euntes
Nazaridum exigui manes, quos funere quondam
Suſtulit Herodes, quibus omnibus igne flagrantes
In dextris faculæ. Veſtes, & vulnera, & ora,
Atque illas ipſas chlamydes, quas vtraque nerat,
Continuò agnouit Rachel, atque anxia Dina:
Benonem illa ſuum; pulchrum videt altera Eberum,
Quos longùm flerant: Bis ſeptem ponè caniſtris
Purpureas fundunt violas, nimboſque roſarum
Infantes alij: rubet omnis ſemita flore.
At victrix greſſus per candida ſerta ferebat,
Auratâ inſignis pallâ victricis imago
Iudithæ, cui peplum humeris, atque anulus ardens
In digito. Hinc laſſæ matres, ſociæque viarum
Debbora, Suſanna, atque Agar; inde ordine longo
Purpureæ chlamydes, vexilla, argentea ſcuta,
Militiæ ætheriæ ſpecies, haſtàta iuuentus.
Quis pompam illius noctis, lucemque renarret?
Inſonuere repentè tubæ, quo murmure ripæ,
Et pulſi colles reſponſant: audijt æris
Horrendum carmen Tenechos, nemoroſaque Hiebla,
Et Lyde, & Marehon, & proxima nubibus Herme.
Ecce autem hos inter plauſus Amor inclytus ibat;

Cui ſuper alta ingens vmbella holoſerica pictis
Sex agitur ſuffulta haſtis, geminique Hierarchæ
Thuricremum lentis alternant iactibus aurum.
Dextra tibi nodo, Genitrix, implexa tenaci,
Haud iterum fugitura; tibi manus altera nexu
Stringitur, alme ſenex. Campi, nemora auia, valles
Carminibus vatum reſonant: O ſplendor Olympi!
O lux in tenebris exorta! ò Legifer orbis
Expectate diu! ò noſtros miſerate labores!
Parce Pater, parce Omnipotens. Mens omnibus œſtro
Afflatur diuo, Regemq;, Hominemq;, Deumq;,
Paciferumque vocant, & ſanctum Numen adorant.
Quaque iter eſt, ramos curuat ſubeuntibus arbos:
Deſuper omnigenûm cernuntur nubila Diuûm
Plena choris. Alto Pater ipſe è culmine Mundi
Aſpicit è ſolio reduces; atque omnis ab aſtris
Cæleſtum populus, portas quoque, tectaque ſumma,
Et muros pagi, & turres inſederat. Ipſe
Ætherios inter comites pulcherrimus omnes,
Hoſte triumphato, Ieſſeïus it Puer, inſtar
Syderis eoi; ſignant veſtigia acanthi,
Mixtaque parthenio bellis, conuoluolus, iris,
Et crocei flores campi. Sic ille redibat;
Nazareisque ſuis, poſt tot diſcrimina, lucem
Auroramque, redux materna in tecta, ferebat.

FINIS.

SYLVÆ
THOMÆ CEVÆ
E SOC. IESV.

EXCELL.MO DOMINO
D. DIDACO PHELIPPEZ DE GVZMAN,
MARCHIONI DE LEGANES, &c.

Regi à cubiculo, perq; vniuerſam Hiſpaniam Supremo rei tormentariæ Præfecto, &c.

DEDICATÆ.

MEDIOLANI,
Ex Ædibus Ghiſulphianis. 1704.
SVPERIORVM PERMISSV.

REIMPRIMATVR.

Frater Ioſeph Maria Reina Ord. Præd., Sac. Theol. Mag., ac Commiſſarius S. Officij Mediolani, &c.

Bartholomæus Craſſus Canonicus Ordinarius pro Eminentiſs. Card. Archiep.

Angelus Maria Maddius pro Excellentiſs. Senatu.

EXCELLENTISSIME DOMINE.

AVtumno proximè elapſo (EXCELLENTISSIME DOMINE) cùm in maritimâ orâ Liguriæ trans portum Delphini in placidiſſimo receſſu eius littoris ruri degerem; cùm & maris proſpectu collibus vtrinque incluſi, & aere in primis ſalubri, & amicorum colloquijs, & ſolitudine eâ quam vellem, & quantùm vellem (quæ erat à nobiliſsimis hoſpitibus data libertas) ad votum

fruerer ; inter citrea nemora , piſcatuſque , veſpertinaſque excurſiunculas tranquillo mari, Syluulam hanc, poſt diu intermiſſa muſarum ſtudia, magnâ ex parte concinnaui. Subinde verò, in diuerſa œſtro abripiente maritimi inſtar venti , lucubratiunculam mathematicam, eodem vſus tranquilliſſimo otio aggreſſus ſum , cuius ſeriem Excellentiæ Tuæ iam antea literis indicaui. Vtramque domi per hyemem vtcunque expolitam , ex iiſdem nunc amœniſſimis collibus, quos mihi præſentes fingo , qualecunque ruris munuſculum, tibi gemino in libello ſiſto. Timidiſſima mihi Muſa eſt , latebrarumque ſuarum amantiſſima. Vt tamen in conſpectum tuum alacris veniret, non ſemel adhortatus ſum. Perge, aiebam; nec enim affabiliorem humanioremque Principem vnquam adieris. Quamprimùm ſupplicem viderit , primas voces , quas adeò tibi difficiles reddit agreſtis verecũdia, ille

occupa-

occupabit. Nihil ſollicitè meditandum, quò tibi aditum facias: exordia omnia, atque officioſa præludia benigno vultu abrumpet. Te præſente leget nonnulla, arridebit, laudabit, ſiquid non bene terſum limatumque occurrerit, ſecum tacitus excuſabit. Hæc ego. Nec aliter quàm pollicitus ſum euenturum ſpero. Tibi interea, Mœcenas humaniſſime, quando, pace vndequaque compoſitâ, ſolem & puluerem campi, otia tibi præ cæteris iucundiſſima, adprecari nequeo; ſaltem aliquod anni interuallum æquè liberum, & curis omnibus vacuum (da veniam liberis votis) amicorum genio, litteris, Palladi tuæ, & Muſis vnicè ſacrum, quo nihil in terris beatius, ſincerè auguror. Vale.

Excell. T.

Humillimus & Obſequentiſs. Seruus

Thomas Ceua è Soc. Iesv.

POMPEIUS DE FRANCHIS

è Soc. Ieſv.

PRÆPOSITVS PROVINC. IN PROVINCIA MEDIOLANENSI.

CVM librum, cũi titulus eſt SYLVÆ à P. Thoma Ceua noſtræ Societatis, conſcriptum, aliquot eiuſdem Societatis Theologi, quibus commiſſum fuit, recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, facultate nobis à P. N. Tyrſo Gonzalez præpoſito Generali communicata, concedimus, vt typis mandetur, ſi ita ijs, ad quos pertinet, videbitur.

Genuæ 24. Iunij 1699.

POMPEIVS DE FRANCHIS.

FONS

FONS DELUSUS

IDYLLIUM.

PARIDI MARIÆ SALVAGO Patritio Genuenſi.

FOns vitreus de rupe ſuâ deſcenderat, vrnæ
Maternæ impatiens. Neptuni ſcilicet arua,
Nereïdumq; domos, & tecta algoſa marinæ
Doridos infelix viſendi ardebat amore.
Ergo per & ſcopulos præceps, per & inuia ſaxa,
Perq; ſilentum vmbras nemorum noctesq; diesq;
Accelerans greſſus læto cum murmure, tandem
Auius ille diu quæſita ad littora venit.
Ah miſer! vt longè vidit contermina Cælo
Stagna immenſa; & murmur aquæ, ventosque ſonantes
Audijt; vt propiùs raucos timido pede fluctus
Attigit, vt demum lymphæ dedit oſcula amaræ;
Infelix ore auerſo ſalſam expuit vndam
Illico, perq; genas lacrymæ fluxere; nec vllâ
Vi potuit pronos latices à gurgite ſerus
Vertere. Quas non ille Deas terræque marisque,
Nerinen, glaucamq; Thetim, & viridem Amphitriten,
Atque Ephyren ſurdas nymphas in vota vocauit!

O Galatea ! o nata mari pulcherrima Cypri,
Quam veræ lacrymæ tangunt ! o cærula Doris !
O pater ! o pelagi rector, Neptune, tremendi !
Sed querulas voces venti per inane ferebant.
Heu quid agat, quò ſe vertat, quæ numina poſcat ?
Quod reſtat morituro, anceps ſe torquet arenâ,
Innectitque moras, & eundi obſtacula quærit,
Horriſonam hàc illàc fugitans exterritus vndam.
Quid volui demens ? quò me malus impulit error,
Aiebat lacrymans. Nam quid, ſæuiſſime prædo,
Exiguus poſſim deſerto in littore riuus,
Inque tuis regnis ? ſimul hæc, ſimul ora profundi,
Ora procelloſi Nereï liquido ſale puras
Inficiens lymphas argentea Nympha ſubibat.
Hanc, PARI, necdum etiam noſti ? Tua ſcilicet illa eſt
Pulcifera, immitis quam glarea cogit in æquor
Contortæ vallis per iter laceram vndique ſaxis.
Nec priùs aërias ſaltem propioris Arenæ
Interlabi ædes potuit peregrina, nec illis
Delicijs moritura frui ; non ardua rura,
Non hinc atq; illinc regalia cernere tecta.
His equidem viſis, curſim licèt, inclyta Nympha
Æquiùs interitum credo, & ſua fata tuliſſet.

AD ROSAM
HYEME NATAM.
IDYLLIVM.

AH! quid agis, tenera in niuibus virguncula? Si te
Ille puellarum raptor, qui circuit hortos,
Aut Aquilo, aut niueis inimicus floribus Eurus
Viderit, heu, laceram prædo vehet ille per auras.
Fruſtra erit & fletu & precibus lenire furentes:
Non illi parcunt niſi quercubus, aut cypariſſis,
Hirſutisque rubis nemorum, aut immanibus ornis;
Omnia bella vorant, & acerbo funere perdunt.
Ah miſera, vt glacie, atque hyberno frigore palles
Candidior niuibus! Quæ te manus aſpera iuſſit
Intempeſtiuam prorumpere? Carduus horrens
Ipſe timet brumam, metuunt ipſæque decembrẽ
Intonſæ pinus & robora: Quæ tibi, virgo,
Aduersùs diras glacies, aduersùs & imbres,
Lapſuraſque niues fiducia? Sic ego; At illa
Circùm proſpiciens latè omnia cana pruinis,
Heu, ſe deſertam flebat, fletuque decora
Vſque adeò viſa, & pulchro ſic palluit ore,
Vt Boream, atque ipſos lacrymis inflexerit Euros.
Sed non infelix noctes tolerare ſerenas
Sub dio potuit, riguitque tenerrima, aduſtis
Frigore præ nimio folijs lactentibus. Atqui
Sic quoque Hamadryadum, & Cypriæ rapit oſcula matris.

ANTONIO MALLEABEQVIO,
Viro eruditiſſimo.

De ſtatuâ celeberrimâ militis cogitabundi in Mauſoleo veteri magnorum Ducum Hetruriæ, vbi noctis ſimulacrum elegantiſſimum.

EPISTOLA.

NEſcio quid tetrum menti mihi iam diu inhæret,
Meque agitat: nec terrorem, nec ſomnia ferre
Vlteriùs poſſum. Cùm me tua nuper haberet
Alma per autumnum Florentia, Mauſoleum
Regum Hetruſcorum ſubij, vetus illud, vbi nox
Sculpta, vrnæq; Ducũ: Iam noſti. Harũ inſidet vni
Bellator meditabundus, cui nubila frontem
Cura grauat, quã læua manus regit. Id quoq; noſti.
Hunc ergo armigerum læuâ dextrâque vbi totum
Attonitis oculis obij, iam veſpere ſero,
Cùm demum abſcedens obtutus vſque tenerem
Intentos, vidi galeâ nutare, moueri,
Reſpirare auras, & quiddam dicere velle.
Quid vellet porrò haud ſubijt tunc poſcere; nocte
Quippe incumbente vrgebar; ratus inſuper, vt fit,
Deluſos oculos viui ſpecie ſimulacri.
At nunc ille ferox miles noctesque dieſque,
Effigie ante oculos præſens, mihi turbidus adſtat.
Atque arma, atq; ora, & magis alta ſilentia terrent.
Quin etiam in ſomnis me pallida turbat imago.
Hunc ſemel aggreſſus volui placare canoro
Terribilem plectro; quo viſus tollere ſenſim

Triſte ſupercilium, atque atram diſpellere nubem.
Hinc ſcitari auſus, num muſas noſſet. At ille,
Has ego in Italiam retuli, inquit: Vixq; ea, rursũ
Appoſuit fronti læuam, nec plura locutus.
Hæc ſpectri ſeries. Nunc abs te ſcire laboro
Quis Deus, aut Heros priſcus ſe marmore in illo
Abdiderit; veſtri ſiquidem fortaſſe ſuperſtes
Re ſuper hâc aliquod monumentũ extabit in vrbe.
Præterea Phidias ne, an Praxiteles opus iſtud
Extuderint (nec enim noſtris ea gloria ſeclis)
An potiùs ſcalpris tota inſudauerit olim
Græcia, ſcire velim. Sed & illud noſſe peropto
(Da veniam votis) ſacrâ nunquamne locutus
De ſtatuâ, nunquamne oculos, aut ora leuarit.
Nam fieri vix poſſe putem quin denique laſſus
Interdum meditandi, altæ faſtidia mentis
Aut voce, aut oculis, aut nutu expreſſerit vnquã.
Poſtremò id ſupplex oro, placabile nobis
Redde iſtud tacitum numen, ne ſæuiat vſque,
Neue animo pauidiſque oculis ſeſe ingerat vltra.
Nã quid ego poſſim? qua ſpe? quid peruigil adſtat?
Non ego ſum vates, qui muſas, quas dedit olim
Italiæ, Italiâ poſſim retinere fugaces,
Si fortè hanc tacito nutrit ſub pectore curam.
Quin tibi, ſic merito, mentẽ hanc & munera mãdet.
Tu potes intra alpes monitis plauſuque fouere
Sopita ingenia, & ſtimulos adiungere tardis.
Hoc erat vt te carminibus longinquus adirem,
Tuque importunis (ſi quid potes) annue votis.

Huius ſtatuæ auctor Michaël Angelus Bonarota. In eâ verò expreſſus Laurentius Mediceus, Muſarum, bonarumq; artium Pater. Vaſarius in vita Mich. Ang. Bon.

De

De linguâ latinâ, & de veterum imitatione.

NICOLAO IANNETASIO è Soc. Ieſv.

EPISTOLA.

DVra mihi pedica eſt, oneroſaq; ſarcina, vt œſtro
Incaluere aures, & mens ſalit ebria viuis
Excita imaginibus; verba inter priſca rogari
Eloquij trahere vſque moras, & pendere voces
Simbellâ, quænam ſub Caio Cæſare, puro
Ex auro, quæ mixta cupro ſub Cæſare Galbâ,
Arbitrio nec poſſe meo decernere quicquam,
Aſſenſum donec dederint Patres Conſcripti,
Qui Latio præſunt. Hæc ſancta, ſed hiſpida iura
Quantum addunt ſenij maieſtatiſque latinis
Carminibus, tantundem adimunt genij atque iuuentæ.
Nam viuæ Charites, Veneres, riſuſque, iocique,
Et lacrymæ, & quidquid natura poëtria ſæpe
Ingerit vltro animis; vt grato carmine vulgus
Detineant hominum, natiua vocabula poſcunt,
Et vegetam linguam; geniuſque, vbi mente refulſit,
Ipſe ſuas ſecum citharas, peregrinaque ſerta,
Atque improuiſos flores, ſua munera, defert.

Quod

Quod ſi aliter canere ipſe velis quàm præcipit, ille
Impatiens reuolat Parnaſſi in culmina; teque
Patrum inter conſulta moras litesque ferentem
Cum Varrone ſene, & Vallâ, Orbilioque relinquit.
At non Vergilius tot Graiûm verba modoſque,
Grammatici quanquam pro finibus arma mouerēt,
Romuleas timuit primus traducere in aures;
Nec lychnum Latiâ quondam Pater Ennius vrbe
Donauit, veniam priùs indulgente Senatu.
Quisque, vt materies, vt res inuenta ferebat,
Eloquij formam prudens cautuſque nouabat.
Hæc tantùm nos iura ligant, vt turpe nefaſque
Iam ſit priſcorum placitis diſcedere. Quo fit
Vt ſit certa ſtyli ratio, quam quiſque ſequatur,
Nec ſperare queas veterum tranſcendere quenquam.
Quid poſſit vates, quem non audacia tollat
Sublimem? cui non animoſa ſuperbia laurum
Oſtendat? qui rumpere iter per deuia primus
Non ſperet? Te Roma olim ſi priſca tuliſſet,
Non ad Virgilij numeros, reor, æmula Syren
Inſtrueres nautas; nec tu, Rapine, Maronis
Ad citharas pariter fidibus concordibus hortos,
Et flores caneres. Non hic color eſſet vtrique
Scribendique ſtylus; ſed quem ſua cuique dediſſet
Secreti vis ingenij; quam nempe Catullus,
Quam Flaccus, quam Papinius, Marſuſque ſecuti
Tam vario inter ſe ore canunt, quàm quiſque ſuum met
Exprimit ingenium. Quanto diſcrimine diſtant
Carmen, ad exemplum quod fingitur, & quod ab ipsâ
Indole ſponte ſuâ manat! Namque iſtud eundo
Acquirit

Acquirit vires; huic indefeſſa voluptas
Aſſidet, huic pernox, & iugis lector inhæret;
Nec, poſtquam legit tercentum carmina, verſis
Explorat chartis an adhuc pars multa ſuperſit:
Sed cupit vltra etiam, ſi poſſet, tendere metas;
Vſque adeò res ipſa tenet, fallitque legentem,
Quæ ſic translucet puro de carmine, vt, inſtar
Perſpicui vitri, nil verba obtenta morentur
Intuitus animi. Qui poſſit talia vates,
Cui mens inſueto ſi quando exarſerit œſtro,
Ni veterum quiſquam ſtadio verſatus eodem
Comiter arreptum ſua per veſtigia ducat,
Ille nihil tentare queat? Verùm audio contra
Quid moneas, voceſque tuas & murmura ab vſque
Surrento vehit aura loquax. Nam quis vetat, inquis,
Ne genium ad veterum leges normamque ſequaris?
Pingere qui didicit quondam, Vrbinate magiſtro,
Romuleâ cognomentum ſortitus ab vrbe
IULIUS; vt formam pulchri ſemel hauſit, an ille
Italici ſic exemplaribus hæſit Apellis,
Vt non marte ſuo Phlegram, immaneſq; gigantas,
Fulmineumque in nube expreſſerit axe tonantem?
Quæ ſimul ac videas exclames, *Iulius hic eſt*.
Paulatim in mores ſtudioſa imitatio tranſit,
Si tamen ingenua eſt; non illa pediſſequa, ad omne
Demiſſa obſequium. Nam pulchri eſt ardua quædam
Seu ſpecies, ſeu forma, ſuo quæ numine ſeſe
Continet à rebus ſecreta. Hanc Graius Homerus,
Teïus hanc vates, hanc Pindarus, & Maro, primi
Suſpexere; dehinc alij, quo quiſque tuendi

Scrutan-

Scrutandique acie pollebat firmiùs. Atque hinc
Quæ quiſque obtutu potuit ſubducere furtim
Tranſtulit in carmen. Nec cuiquam ſe Dea
prorſus
Indulſit; tantùm illa ſui veſtigia quædam
Diſperſa hàc illàc diuerſo in carmine liquit.
Iam quid agit prudens vates? Veſtigia ſolers
Hæc eadem quærit; quibus vt ſemel hæſit, vt
omnes
Hàc illàc ſparſas Veneres collegit; in ipſam
Tollit & ipſe Deam ſublimis lumina, ſiquid
Non obſeruatum pridem ſenioribus illis
Surripere inde queat: quod vbi ſubduxerit, olli
Et verba & numeros Latium, quibus indiget,
omnes
Suppeditat; quin ipſa ſuas quoque Græcia voces
Commodat, ornatuſque omnes, quos poſſit in vſus
Deriuare ſuos. Atque his munitus vtrinque
Præſidijs, quid iam, quæſo, moroſior vltra
Poſcat adhuc genius? Verùm tibi Græcia,
quanta eſt,
Ignota eſt, vereor, tellus; fortaſſe nec omnis
Explorata tibi Latij regio vndique, nec tu
Flaminiâ fortaſſe viâ diſceſſeris vnquam,
Puluereum per iter plauſtra & carpenta ſecutus:
Nec, quantùm læuâ dextrâque ſuperſit agrorum
Et nemorum, ſatis vſque vides. Hinc illa togati
Eloquij pedica, hinc tricæ, conſultaque longa
Cum Varrone ſene, & priſcis auctoribus. Audis?
Audio, namque meas demens mihi buccino in
aures
Ipſe met, inque tuas vltro meme induo voces,
Quas plus exacuo quàm tu, humaniſſime, velles:
Meque adeò imprudens per ludum vulnere læſi,
Qui

Qui nunc in promptu iam non eſt poſſe mederi.
Sed patere hoc etiam, rogo te: non multa ſuperſunt
Carmina, quæ te diſtineant. Torquatus ad omnes
Delicias Latij finxit flexitque poëſim.
Nec non Eridani cycnus, qui carmen in vnum
Miſcuit heroas nymphis, & amoribus arma,
Quanquam aliud ſortitus iter: de fontibus ijsdem
Multa hauſit tamen: & Charites Veneresque pelaſgas,
Quas ad nos auſus nemo deducere, primus
Italicæ linguæ Cabrerius addidit. Ecquis
Et nos in priſcum ſermonem inferre viciſſim
Noſtra vetat? cur non commercia mutua? cur non
Hinc atque hinc opibus collatis vtraque lingua
Diteſcat? Sed enim criſpabit Gallia nares,
Quæ nunc è Pindo muſas regit arbitra. Quid tum?
Illa ſuas quoque delicias, inuentaque vatum,
Quos habet inſignes, Euandri in regna latini
Deducat. Certis at finibus vndique ſeptum
Eſt, inquis, ſacrum Latium, quos tranſgredi, & vltra
Tendere ſi liceat fidenter cuique, vetuſta
Barbaries ſenſim redeat, cultuque profano
Omnia ſilueſcant. Fateor; verumtamen hoc eſt
Quod queror & doleo. Namque hinc fit, vt ipſa canendi
Materies argumentis niſi conſonet ijſdem,
Quæ veteres cecinere priùs; mihi multa ſupellex
Verſibus ornandis, & fandi copia deſit.
Ipſe nouas etiam Lucretius addere voces,
Illuſtraturus Graiorum inuenta coactus,
Propter egeſtatem, Latio dum lingua vigebat.

Iam

Non poſſit Latium. Verùm fac poſſe; quid inde?
Euaſurum ideone putes opulentius? Erras.
Nam viuæ & vegetæ linguæ quantum aduenit annis,
Tantundem pariter paulatim deperit. Atque hinc
Quæ placuere olim, ceu iam deſuetus amictus,
Nunc neglecta iacent. Contra Latius tenor idem,
Fonte impermixto, puriſſimus vſque perennat:
Quæque olim fuerat, manet, æternùmque manebit
Gratia, maieſtas, candor, vis, atque iuuenta.
Hæc tu. Sed pleno iam margine epiſtola litem
Protrahere vlteriùs prohibet. Quod ſi vſque liceret,
Nec calamo obſtaret iam ferme exhauſta papyrus;
Poſcere adhuc vellem quî poſſim carmina ſacra
Fingere; cùm latiæ linguæ pars magna Deorum
Nominibus vanis, cultuque infecta profano,
In noſtros nequeat, niſi vi, deſcendere ritus.
Deinde noua in lucem quotquot molimina cudunt
Irrequietæ artes, hæc longo ambire neceſſe eſt
Circuitu, vt Caius Rabirius, atque Cethegus
Exaudire queant ſeclis incognita priſcis
Belli inſtrumenta, atque inuenta recentia mille.
Adde quod aonijs numeris pars plurima vocum
Adſtringi nequeat, ceu cùm breuis vna duabus
Hinc atque hinc captiua vrgetur ſyllaba longis,
Quale tibi eſt nomen, cui Syren ſubſtituenda eſt,
Ne peccet carmen. Quid verò cætera ſempiterno damnata exilio, atque excluſa Helicone
Nomina commemorem, nunquam, niſi corpore ſecto,
Ventura in carmen? Sed & illud non leue, quod ſint
Multa etiam in Latio deſueta & rancida Plauti,
Lucilj

Lucilj atque Ennj. Poſtremò ſcribere doctis
Cogimur & pueris tantùm. Sic iudice vulgo
Noſtra carent, cuius plauſum ſtrepitumque poëtæ
In primis ſpectare ſolent; rectiſſima quando
Plerumque eſt populi concors ſententia, quem non
Abripit inuidiæ liuor; pulchrumque venuſtumque
Agnoſcit duce naturâ; quanquam haud ſciat artē,
Nec ſibi cur placeant norit. Solimæida Taſſi,
Quanquam multa olim linguæ non vſque probatæ,
Nec ſatis excretæ culparet Hetruria, lauro
Donauit vulgus. Vulgus quoque tempora lauro
Virgilij cinxit, cùm docti ad ſidera ferrent
Ennium: Et egregium, Ferraria quē dedit olim,
Italiæ vatem, fruſtra illum, vt traditur, aula
Neglexit: vulgus contra ſtetit, & meritâ aurâ
Suſtulit Eridani cycnum. Sed carmine cogor
Innuere hæc curſim; ſiquidem vix charta calendas
Accipit, vt prope vix poſſim ſubſcribere nomen.

IN VENTOS.

VIRO CLARISSIMO ANTONIO MALLEABEQVIO.

SVB dio expoſitus pictâ mihi flauus in vrnâ
Lapſu improuiſo præceps amaranthus ab alto,
Aëris emenſus viginti circiter vlnas,
Decidit. Hunc noctu ſpeculæ de margine, venti,
Vos exturbaſtis: Nam vobis peſſimus hic mos,
Aggreſſis fruſtra veterem conuellere quercum,
Poſtquam illa & ſtrepitus & flamina inania riſit,
Vim veſtram in teneros & inermes vertere flores.
Teſtis ego: Illa omnis nemoroſa Liguſtidis ora
Margaridos, vobis populata exutaque cedris;
Præque alijs mea quondam hoſpes Veneroſia villa,
Quæ mihi reſtituit lauros, deſuetaque plectra.
Quæ vos Riphæis de montibus huc agit ira,
Terriuagi errones? quibus & mare, & vndique tellus
Succutitur; quos Flora timet, quæ nunc anemonas,
Nunc violas ſparſas, & humi verſos calathiſcos
Repperit, & Nymphis ſæua infortunia narrat.
Sic vos nutu adigat pater Æolus æquore ſalſo
Noctes atque dies inuitam vrgere biremem
Fœtam alicâ & ſcombris vſque ad Malabarica regna.
Inde, vbi anhelantes in veſtra redibitis antra,
Ille iterum iubeat pendentia lintea fune,

Tunc

Tunc lota, & nigrùm guttantia, nube latentem
Siccare ad ſolem. Quondam vnus de grege veſtro,
Anxure dum ſomnos carpebam nocte, feneſtris
Extemplo patefactis irruit, aſtraque coram,
Et rutilam Lunam ſudo reſerauit Olympo.
Quo ſtrepitu excitus, nigrum cacodæmona ab orco
Immiſſum extimui. Rurſum alter de grege eodē,
Verbanois dum trano lacus, è valle repentè
(Namque ibi in inſidijs prædo ſub rupe latebat)
Adfuit improuiſus agens pluuio axe procellam;
Merſiſſetque ratem, niſi me florentibus vlnis
Inſula, quæ medio ſurgit pulcherrima ſtagno,
Borromæorum ſtatio, diſcrimine in illo
Obuia ſub noctem portu ſeruaſſet amico.
Illinc ad Rummum verſus (hoc namque latroni
Nomen erat) Per me, dixi, nunc vtlibet efflа,
Et mugi, atque iſtud ſolido de marmore tectum
Excute quantumuis, &, ſi potes, aufer in auras.
Hæc tutò in tenebris, cœnatus ſplendidè, & alto
Compoſitus ſtrato iactabam. Murmure Rummus
Interea in multam noctem latrabat inani.
Si ſapis, Antoni; telas, aut vitra feneſtris
Adde tuis, oro; ne, ſi ſemel agmine facto
Prædones iſti irruerint, ſuſdeque tuorum
Congeriem immenſam vertant rapiantq; librorū.
Rides: Nam, quamuis diſperſa volumina cuncta
Surriperet Boreas, memori tamen omnia mente
In tuto depoſta tenes, nilque hæc mea curas
Carmina, quæ fruſtra in volucres effudimus auras.

Enſis

ENSIS FERRUGINEUS

Armariæ officinæ ſignum.

PROSOPOPOEIA.

QVI ferrum exacui limâ, argillâque
poliri,
Vinciriq; auro capulum, aut de more
coruſcam
Lamnam quam lateri ſociam cupis, huc ades. Index
Longæuus ſum, qui loquor, aëre pendulus enſis,
Iam multo ſenio ſqualens & inutilis, haſce
Ante fores. Bello emeritus, poſt prælia multa
(Nam præſens vidi memorandam ad ſtagna
Rauennæ
Gaſtonis iuuenis cladem, & miſerabile fatum:
Vidi & Lotrechium furijs immanibus actum,
Cùm pugnam Heluetij non æquo tempore vellent:
Iamque priùs Guelphas, Ghibellinaſque ſecutus,
Nunc has, nunc illas partes, miſeranda per agros
Funera, perque domos, & Thuſca per oppida
paſſim
Edideram ſtrages) poſt tot fera prælia tandem,
Bello, vt dicebam, emeritus, longo obrutus æuo,
Iam nunc inualiduſque ſenexq; hos ſeruor in vſus,
Signum ex hoc tigno ſuſpenſum: hoc munere
fungor.
Hinc auro illuſos currus, ſellaſque volantes
Ire redire diu, famulorumque agmina cerno.
Heu quos in triuio iuuenes, quas puluere odoro
Cæſaries ſparſas video! Quantùm, Itala tellus,
Italiæ

De Muribus & Fele.

APOLOGVS.

Concilium mures quondam fama eſt inijſſe
Semiruti tecti ſub fornice. Nocte ſilenti
E patrijs loculis venere, arciſque repoſtis
Quotquot roſa colunt armaria, quotque ſalignis
In pluteis habitant, aurigarumque latebris;
Qui mactris, olliſque latent, taurinaque lora,
Atq; adipem, atq; vnctas ocreas, & glutina mordent;
Et quibus eſt noctu bellum cum gliribus, & quos
Ieiunos ſaturant, infelix eſca, libelli,
Laureæ, Ephemerides, trita vſu Onomaſtica, amantum
Commentarioli, miſerandaque carmina vatum.
Conſedere omnes ſuffragia collaturi
Re ſuper ingenti. Senior quos inter Erauxtes,
Concilij præſes, qui multâ nocte Platonem,
Marſilijque vetus præroſerat ante volumen,
In medio cœtu ſic fatus. Seriò agendum
Inter nos, Patres, & ſedulò decernendum
In genus inuiſum feles. Sunt cuique latronum
Nota odia, & noſtræ paſſim diſcrimina gentis.
Nuſquam tuta domi penetralia, rimula nulla,
Aëriuſque imbrex, paries, teſtudo, lacunar,
Quò non ſeſe vngue inſinuet teterrimus hoſtis:
Peruia quippe illi ſunt oſtia quæque, relicto
Orbe cauo, quà ſe furtim nequiſſimus infert,
Percurſatque omnes noctuque diuque penates.

E patrijs laribus ſocios in bella vocare.
Delicijs non illi vrbis, luxuque domorum,
Atque epulis fracti; ſed fortia pectora bello,
Audaces animi, ſolidæq; ad vulnera pelles.
At neque plerisque id placitum. Stipendia terrent,
Ciuilisque metus belli, ne pinguibus eſcis
Illecebrisq; domûs capti, gens aſpera ad agros
Eijciat veteres vrbanâ è ſede colonos.
Hæc potior demum cunctis ſententia ſedit,
Quam tulit, vt fama eſt, Turpillus ridiculus mus.
Olli contigerat ſedes mundiſſima tecti;
Tresq; ibi iam menſes exceptus diuite luxu,
Hollandas inter telas ſceleratus agebat.
Namque armariolo ſe ſubdolus inſinuarat,
Ordine vbi mappæ digeſtæ, & cætera lina,
Quæ cedro exanimi, violis, & amaraco odoro
Compta aſſeruantur textis redolentia ciſtis.
Horum Turpillus cuſtos, hisque addere lauri,
Quæ deerant, baccas; & olenti ſpargere lymphâ
Purpureas vittas, ricinia, picta flabella,
Delicias nuptæ ſpurciſſimus ille ſolebat.
Plorabat miſera, & lacrymis conuitia dira
Miſcebat; quoties puro certantia lacti
Fœda intus maculis bombycina perſpiciebat.
Et malè ſit muri, aiebat, qui proluit omnia,
Fæcibus atque ſuis mî ſpurcat lintea, & omnes
Commaculat limbos, byſſoq; indormit & oſtro.
At te ego ſi poſſim ſemel hìc comprendere, nequam,
Tete ego qui deceant mores, ſcelerate, docebo.
Nequicquam interea ſusdeque inuertere cuncta,
Deprenſura intus prædonem. Fugerat ille
Iam priùs in tutum. Nam præuia Liſa catella,
Quæ greſſus ſemper comitari aſſuerat heriles,

Ex oricalcho agitans collaria tinnula longè,
Ædibus hinc atque hinc audacula diſcurrebat.
Quo ſonitu admonitus dominæ aduentantis, in imas
Ille recedebat latebras. Sic luſerat omnes
Femineas iras, ſic dudum impune latebat.
Hiſtoriam hanc coram narrabat fuſiùs ille;
Et riſere dolum iuuenes, nec ſe tenuere
Longæui patres. Ille autem tempora nactus
(Conſilijs nam ſæpe iocus dat prouidus anſam)
Cur & nos, inquit, quando hæc tenet anxia cura,
Non eadem ſtreperis vocalia cingula bullis
Inijcimus feli? Nunquam improuiſus adeſſet,
Tinnituq; procul ſe proderet improbus hoſtis.
Sic ait; & Patres tantisper rem meditati,
Vt faciunt qui vina probant, eaque optima norunt,
Inclinare aures vtrinque ad pectora, ſeſe
Intentis oculis circumſpectare viciſſim
Nutibus; vnanimes omnes hoc denique velle:
Hoc Poliphon, hoc Licophynax, ſeniorque Lichenor,
Artophagusq;, omnes illorum è ſanguine auorum,
Qui bello quondam ranas fudere paluſtri,
Quos citharis olim Graijs celebrauit Homerus.
Hoc igitur fixum ſedet omnibus, omnibus vna
Atque eadem penitus concors ſententia votis.
Quæritur ergo, oneri qui ſeſe accingere tanto
Pro laribus ſacris, patrijſque penatibus auſit.
Verùm hic longè aliâ rem quiſq; expendere lance,
Nemo prior tentare vadum, ſe quiſque fateri
Immeritum, tanti cui cedat gloria facti,
Atq; has atq; illas (vt fit) prætendere cauſas.
Huic inuenta domi ſibi iam penetralia tuta,
Quò

Quò neque ſe inſinuet cæli ſpirabilis aura:
Huic pes exuſtus dum lampadis ambit oliuum,
Stigmate quo claudus vix ægrè incedere poſſit:
Huic nidus natorum ingens in luce relictus,
Quem, niſi præpropere abſcondat, ſibi degulet
hoſtis.
Talibus, incerti quid agant, conſulta trahebant
In noctem. Strepitum interea de culmine tecti
Senſerat excubitor felis, tacitèq; repoſti
Fornicis obſcuras latebras de more ſubibat.
Lætitiâ geſtire auidus latro, ac pedetentim,
Conſcius audacis facti tentare lacunar.
Verùm, vbi nequicquam ſeſe intromittere rimis
Luctatus pede & vngue diu miſer inſtitit; iram
Non tenuit, gemitumq; dedit: quo fulguris ictu
Percuſſi, hàc illàc per gypſea rudera cuncti
Haud mora dilapſi ſubiere foramina nota
Illico: Sic cœtus congreſſusque ille ſolutus.

Abdidit his tenebris, miſera heu virguncula? Voſq;
Inſontis caſum tacuiſtis, turba forenſis
Librorum, Pindo implacabilis? Hæccine verò
Sacrarum vobis cuſtodia tradita legum?
Talibus indignans, ſqualentem puluere multo
Excuſſit, digitiſque atram fummouit Arachnem,
Et cariem, & reſides blattas. Sic denique terſam,
IUSTE, tibi donum, LIPSI, tranſmiſit habendam.
Tuque ægræ aſſidens, quam triſte momorderat æuum,
Diceris haud multis læſam inſtauraſſe diebus;
Quæ nunc compta tuis in libris fertur in auras,
Et patrio tandem ſpatiatur libera cælo.
Infelix tamen vſque, Deæ quæ ſacra Erycinæ
Feſta canit, fronde & Cyprijs circumdata vittis,
Carcere digna illo, quo pridem obſcura latebat.
Hæccine per medium vulgus pudibunda puella
Auſa docere palam! vigilem traducere noctem,
Quæ Veneris lucem præit! & præcingere myrto
Tempora! quæq; altè feriant monſtrare ſagittas!
Iſta, amens, medias paſſim vulgare per vrbes!
Nec ſacras leges, nec iura horrenda vereri!
At tu, Pieridum decus, atq; amor, inclyte MADDI,
(Namque tibi eloquio ſanctos inducere mores
E Cœlo ſuperi dederunt) hanc moribus, oro,
Sume refingendam, ne Cypridis ampliùs illa
Nomina depromat, neu talia proferat vnquam.
Spero equidem haud longo ſtudio emendare licebit,
Inque ſacros, quæcunque canit, traducere cultus.
Nam ſimplex virgo eſt, veteres edocta deorum
Ritus, quoſq; olim didicit, canit inſcia amores.
Hæc ego viuenti nuper tibi carmina, vates,

Heu ſera, heu non ad te peruentura pararam.
Scilicet, ipſa hæc dum canerem, iam ſpicula, & arcum,
Iuſſaque diuus Amor dederat triſtiſſima morti;
Secretòque eadem fidæ commiſerat auri,
Ne quis reſciret, ne ſupplex fortè querelis
Orando poſſet lacrymis auertere fata.
Quid moror, atque iterum crudelia vulnera tracto?
Illa caput redimita roſis (namq; inclyta circùm
Cœleſtum manus horrentes velauerat oſtro
Sidonio rictus, atque ipſam flore ſagittam
Et lauro intortâ, vittisq; abſconderat aureis)
Illa, inquam, volucri placidoque ſimillima ſomno,
Quàm potuit tacitis ſubijt conclauia pennis.
Illic mœſta fides, vultum demiſſaque honeſtas,
Et multùm illacrymans pietas, atq; abdita nigro
Muſa dolens velo, morituri ante ora parentis
Stabat acerba gemens, fatis intenta ſupremis.
Iamque ſagittiferâ iaculum lethale pharetrâ
Eductum curuo Libitina intenderat arcu,
Et feriebat. At, heu! luctu confuſa precantum,
Et patriæ ante omnes lacrymis ſurda aſtra cientis,
Atq; ſinum, & dextram contra tendentis inermem,
Illa, ferox quamuis, non exorandaque votis,
Subſtitit, & verſâ ceruice rogabat Amorem,
Qui præſens aderat, num dura faceſſere iuſſa,
Num vellet tento dimitti ſpicula neruo.
Annuit ille oculis, ſimul irreuocabile telum
Excuſſum venit. Charites abiere repentè
Ingenuique ioci lacrymis manantibus ora
Perfuſi, per tecta vagi ſingultibus ægris.
Ipſa atro obduxit ſcenam Comœdia velo
Non retegendam vltra; nam riſus, gaudia, & omnes,
Haud

Haud redituri vnquam, genij exceſſere per auras.
Et nunc muta ſedes poſito triſtiſſima plectro,
Orba tuo infelix deſertaq; vate Poëſis.
Nec potes iraſci fatis, nec ferre querelas
Ad ſuperos; quid enim contra, pulcherrima, poſſis?
Nam tibi de Cœlo venit irreparabile fulmen.
Ipſe tuus Cœleſtis amor te vulnere læſit;
Ipſa tua (hoc etiam deerat) ſtant carmina contra,
Et rebus prohibent fluxis impendere fletus,
Teque iubent miſeram tua iungere gaudia Cœlo.

Naufragium Claſſis CAROLI V. in Africa, dum IVLIAM CÆSAREAM præſens obſideret.

ANDREÆ AB AVRIA Fides & Conſtantia.

IAM formidatum nautis præuiderat axe
Obſcuros ſolitum nimbos portendere ſidus
Auria, Cæſareasq; acies malè præſcius Afris
Nequicquam inſtiterat quamprimùm abducere terris.
Ergo, vbi iam propiùs venientis ſigna procellæ,
Nimbiferique procul præſenſit murmura venti;
Iamq; atras cogi nubes, iamq; aëre vidit
Collucere ignes, & crebra tonitrua longè
Audijt; altè animo reputans Neptunius Her
Cæſaris exitium maleſidâ in litoris orâ,
Quæq; acies feſſas clades miſeranda maneret,
Stans tumido in pelago de puppi interritus altâ
Ingemuit, rupitque ſenex has pectore voces.
Hæc ego prædixi: iuuenis ſed præſcia Cæſar
Nil monita extimuit. Iam nunc noſtra omina ſentit,
Atque olim hic turbo venturos inſtruet annos.
State, viri: antennis ſubſtringite vela: marinos,
Quà veniunt, prorâ obuerſâ perrumpite fluctus:
Ne trepidate; adſum ſalſi vetus incola regni:
Longè alios fluctus, tempeſtatesque ſubegi.
Alta tene, rector claui: ſaxa æquore tecta,
Abſtruſasq; aras, inſidaque litora noſco:

Hac

Hàc iter, hàc curſus: me cætera vela ſequantur.
Talia iuſſa dabat. Verùm alto obſcurior vſque
Nox incumbebat ponto, Libycique Notique
Turmatim exierant quaſſis immanibus alis
Effuſi è patrijs antris. Iamq; atra profundo
Nunc has nunc illas hauribant æquora puppes.
Nequicquam miſeræ tonitru æris poſcere in alto
Subſidium fluctu, nequicquam tendere dextras
Exanimes nautæ, voceſque attollere cælo.
Quis pelagi horrendam faciem, quis murmura narret,
Nimboſamq; hyemem, flagranteſque æthere nubes?
Nam Cælum ad Boream, veluti vulcania fornax,
Horrificis interuallis ardebat, opacâ
Nocte interlucens; diroq; in lumine circùm
Splendebant latè ſpumanti in littore fluctus
Alliſi ſcopulis, iacto vſque ad ſidera rore.
Hàc illàc pelago ſparſæ fluitare triremes,
Albida quas ſaltu fracta vndique tranſilit vnda.
Aſt aliæ in patulas (viſu miſerabile!) ſyrtes
Ferri præcipites, proraſque allidere ſponte
Euaſuræ iras pelagi. Circùm omnia ſæui
Littora complerant Numidæ, pharetrataq; turba
Maurorum egreſſa ad prædam, iactiſque ſagittis
Arcebant profugos terris. Ergo Auria latè
Proſpiciens oculis claſſem, ſpem Cæſaris, omnem
Ponto abſorberi, & circùm maria vndique ſparſa
Antennis fractis, ſtanteſq; in littore gentes
Cæſareas, reditum quibus æquor, nauibus hauſtis,
Iam ferme abſtulerat; furijs cælique mariſque
Iam victus, magnos fertur nudaſſe lacertos,
Ferratumque manu contum ſtrinxiſſe minaci,
Omnia Neptuno ſimilis vocemque, capilloſque,

Hirſutosque ſinus. Sic altâ immobilis Heros
Conſtitit in puppi, atq; oculos vultusq; tremendos
Obuertit pelago ſæuisque Aquilonibus: &, Me,
Credo, inquit, noſtis. Nobis hæc credita claſſis,
Quæ Libycis nunc fertur aquis. Nec quærere veſtràs,
Quas tegit æquor opes, huc venimus, aut peregrinas
Auehere hinc ratibus merces; ſed plectere bello
Prædones terræ pelagique. Audiſtis? an vltra
Audire eſt aliquid, quod fortè... Haud plura locutus,
Lumina defixit ponto. Mirabile dictu!
Neptuni voces, atque ora ſimillima venti
Extimuere; iras timidi poſuere: ſonantes
Collegere alas; nec ſe auſos talia ſponte,
Sed Stygis imperio ac iuſſu, Eumenidumque flagellis
Actos aiebant; tacitique per æquora ſenſim
Poſt alios alij, trepidi in ſua regna redibant.

Liber vniuerſam Matheſim continens cur ſub nomine PALLADIS in lucem venerit.

AVctor cùm nollet permittere nomina libro,
Quæ precibus ſupplex nequicquam ſæpe rogarat;
Ipſe ferens ægrè duri mandata parentis,
Nolenti ſimilis lentè prodibat in auras.
At ſacra Vranie, cuius cæleſtia ſecum
In lucem veniens ſtellarum arcana ferebat,
Mota pijs lacrymis (quando hæc ſpes vltima reſtat)
Illum mœrentem diuinæ in tecta Mineruæ
Tranſtulit, auditis ſiquam Dea fortè querelis
Ferret opem. Stetit ergo, animis nil territus, inter
Ingenuas artes centum, centum ordine longo
Aſtantes ſolio Cæleſtes vndique Diuas,
Palladiâ tandem cauſam oraturus in aulâ.
Mirantur decus inſuetum, vultusque loquentis,
Præſentem vt ferat ille Deam, lucemque ſupernam
Nil trepidet. Stupet ante alias Tritonia Pallas
Indolis excelſæ partum, non illa parentis
Ignara, vnde animum ſoboles inuicta trahebat.
Diſſimulare tamen, geniumque laceſſere dictis,
Atq; altos tentare animos iuuat. Ergo, vbi finem
Impoſuit precibus, ſuaque infortunia cœtu
In medio retulit; paucis Dea virgo locuta eſt.

Haud

Haud equidem inuitum ſoleo compellere quenquam;
Vtque etiam id vellem, nequeo, dum nomina celas,
Auctoremque ſiles. Non te tamen irrita vota
Effudiſſe velim, nec fruſtra adijſſe Mineruam.
Sed priùs, ad ſuperos quæ te fiducia tollat,
Quidue feras populis, quæ ſeclis digna reueles
Munera, ſcire lubet. Sic deinde effata, volumen
Conſcia diuinis manibus, gremioque receptum
Explicuit coram. Cœli ſe machina primùm
Obtulit: Ipſa ſuos agnouit protinus orbes
Vranie, & digito prior occupat, aſtraq; ſignat,
Stellarumque vias. Tum circumfuſa Dearum
Turba ſuper certatim oculis ſibi quæque laborat
Explorare opere in tanto quid ſublegat, & quam
Partem habeat. Titulos furtim (dum ſingula Pallas
Euoluit manibus) confuſo murmure luſtrant.
Hinc voces variæ: Noſtras hæc pagina terras:
Hæc numeros habet: Hæc fluuios, æſtusque marinos:
Hic numeri rurſum diuini inuenta Neperi:
Hic elementa nouo texta ordine, vinctaq; nexu:
En ſpatij omnigeni menſuram: En concaua vitra:
En ſpecula: En Arabum labyrinthos coſſica ſigna.
His ſuperûm dictis latè omnis perſtrepit aula.
Præcipuè Dea, quæ belli quoque præſidet armis,
Numen vtrumq; implens Bellonæ & Palladis, arces
Innumeras, centumque modos, molimina centum,
Quotquot priſca dedit, quotquot noua protulit ætas
Hoſtibus arcendis, oculis intenta volutat.
Vtque hàc atque illàc libauit plurima curſim
Verſauitq; manu, ſic rurſum Diua locuta eſt.
At tu equidem his coram ſuperis (nam pectore clauſa,

Et

Et procul à terris ſeruabimus omnia) tandem
Securus poſſes genitoris nomina fari:
Aut, ſi fortè tibi promiſſa ſilentia, ſaltem
Auribus haud renues, credo, committere noſtrìs.
Sic ait. Aſt animo intrepidus negat ille fateri,
Secreti fidus cuſtos, penitusque repugnat.
Idq; vnum ſupplex, inquit, tua numina poſco
(Quando aliter nequeo patrijs obſiſtere iuſſis)
Vt ſaltem in populos veniens & luminis auram,
Ne longus labor annorum ſim creditus, in quem
Noctes atque dies, tranquilla per otia, totum
Impendiſſe æuum videatur belliger auctor,
Longè alijs curis, & rerum pondere preſſus.
Tum Dea voce graui fingens, quam non habet, iram,
Maieſtate minax, vultuq; erecta decoro,
Hos, ait, hos animos ſupplex geris? Inſuper audes
Implorare etiam mea numina, opemq; precari?
Mene adeò ignaram rerũmq; hominumq; putaſti?
Scilicet ignotus terris, & nocte ſepultus
Ille tuus, credo, latet heros; famaque nondum
Auditum cœlo nomen ſuper æthera vexit,
Quærendum, reor, in populo, vulgique tenebris.
Quid ſi hæc clauſa ſinu tua ſancta arcana reuelem,
Diuinemque tibi? Tu noſtro aſſuetus Olympo,
Stellarum, & Phœbi ſpeculator, ſiccine diuûm
Inſcius, vt credas poſſe ignorare Mineruam
Te Ducis inuicti ſobolem, te Principe natum?
Quem puerum, priſco heroum de ſanguine auorum
Occiduæ Heſperiæ, teneris iam ducere ab annis
Ipſamet edocui turmas in prælia equeſtres,
Cùm genitor Prorex Afros compeſceret armis?
Quem, tribus emenſis vix luſtris, iam dare iura

Vrbi-

Vrbibus ac regnis, patrijs ſuccedere curis,
Et populos regere, extincto genitore, coëgi?
Hunc non fixum animis, non alto in pectore ſeruem?
Sic tu Deliaci quandoque altaria Phœbi
Duplo augere cubo, ſic recta & curua viciſſim
Conciliare, diu tentata ænigmata, noſses,
Vt mihi nota oris ſpecies, vt cognita virtus.
Huic Dea ſcribenti, inter mille volumina, linguis
Europæ varijs, interpres noctibus adſum:
Huius ſæpe comas lauris Helicone reuinxi:
Hunc in bella ſequor, dum te tua ſcrinia longè
Interea ſeruant; nec ſæua pericula cernis,
Quæ nimiùm fidens ſubit ille. Moguntia, Nicer,
Et Bonna, & Sicoris, nuperq; Druentia teſtis,
Et Rex Eridanus fluuiorum, atque alta Pyrene,
Nubiferæque alpes. Media inter fulmina Martis,
Et fumum, atque ignes, & dira tonitrua mixtum
Iam morti eripui toties, clypeoque recepi
Ipſa meo, hoc, inquam, clypeo, venientia tela.
Tuque nouam & terris peregrinam Pallada cenſes?
Et potes hæc ſuperis, medioque abſcondere cœlo?
Quid ſi iam tandem (quæ noſtra potentia) quid ſi
Hic coram ante oculos præſentem in lumine claro
Oſtendam? Magicas me denique cogis ad artes,
Vſque adeò auſterum Geométram euincere durum eſt,
Aſſenſus nunquam ſolitum niſi ferre coactos.
Hos igitur pictos aulâ circumſpice vultus,
Et vario ſimulacra virûm conflata metallo.
Effigies, quaſcunque vides longo ordine circùm,
Palladis Heroas referunt. Hunc noſtin' alienâ
Fulgentem galeâ, niuibus quem concolor albis
Portat equus, formâ egregium, noſtrâ ægide, & armis
Lucen-

Lucentem? Hoc robur non eluctabile dextræ,
Dextræ, inquam, Herculeæ cernis, vultuſque ſerenos,
Et frontem infeſſam genijs ridentibus? (*a*) Ille eſt.
Sic olim armatus Marti Germaniæ adhæſit
Ad Rhenum Lotharo, qui, ſi nunc viueret, atq; hæc
Audiret, legeretque oculis; agnoſceret ille
Hoc tacitum nomen, quod ſecum in ſydera vexit.
Talem cæruleo Regina Liguſtica vidit
Stantem in puppe mari, prohibentem aduertere ripæ
Admonitas longè proras, cùm tenderet hoſtis
Antennas contra nequicquam & carbaſa ventis;
Talis & obſeſſos ad muros feruidus ibat,
(Si ſinerent) peditumq; ſequax iam mouerat agmen,
(Hoc ego conſilium dederam) allaturus in arcem
Allobrogum, longo feſſam luctamine Martis,
Suppetias tandem ſummo in diſcrimine rerum.
Et nunc è caſtris reducem poſt horrida bella
Mirantur populi; & quoties ante ora per vrbem
Altus equo inuehitur, plaudentum it clamor ad auras
Per fora perque vias: Hic eſt ille inclytus, ille
Heros magnanimus, quem miles in ardua quæque,
In quaſcunque velit partes, extremaque mundi,
Sponte ſequax, vltroque volens comitetur euntem.
Hic famam, & clarum nomen virtutis Iberæ
Suſtinet: hic toties ſtetit imperterritus inter
Sibila fatiferi plumbi, non inde reuulſus
Nec prece nec monitis, nec paſſim morte cadentum
Cæſorum ante oculos: hunc tandem, hunc aſtra dedere
Custo-

(*a*) *Marchio de Leganes*.

Cuſtodem Italiæ, qui vela inimica per vndas
Tethyos Auſoniæ, circùmque Alpina frementes
Clauſtra irrupturos arceret finibus hoſtes.
Talia per populum vulgò exaudita feruntur.
Tu verò has credis non vſque ad ſydera voces
Attolli? Hos plauſus, hæc nomina poſſe latere?
Hæc poſtquam cœtu in medio Tritonia queſta
eſt,
Compoſuit frontem, ſimulataque nubila terſit,
Blandiùs arriſit, roſeoque hæc addidit ore.
Aſt ego, læſa licèt grauiter, non aſpera tecum
Bella volo; centum munitas ſcilicet arces
Obijcis, & foſſas, & propugnacula contra:
Non æquo valeam tecum contendere Marte.
Quin vltro pacem Dea poſco; &, nequa ſuperſint
Diſſidia, oranti poſcentique annuo votis.
Macte animis ergo, quamprimùm in lumen itura
Inclyta progenies; neu te cura anxia tangat,
(Hæc quando tibi cauſa viæ) quòd nominis expers
In lucem venias, & ſe tibi deneget auctor.
Ipſa meum nomen Pallas, titulumque Mineruæ
Subſtituo, Auctoriſque loco me pagina prima
Exprimat hoc ipſo è folio præcepta ferentem.
Sic tibi conſultum ſatis eſt: iam parce querelis.
Nunc verò hæc memori, quæ dicam, mente
repone,
Atq; animis ſerua. Quamprimùm in tecta reuerſus
Veneris in patrias ſedes; Genitoris ad aures
Hæc mea dicta feres. Noſco quid cogitet, & quos
Ingentes agitet tacito ſub pectore ſenſus,
Et video mentis molimina, quantaque Ibero
Adderet ille Ioui, cui militat; & quibus intus
Æſtuet impatiens votis, dum tempora rebus
Opportuna videt, venturaque præuidet alto.

Ipſa

Ipſa quidem præſens adero, ſolertia quantùm,
Ingeniumque ſagax valet: At non omnia Pallas
Vna poteſt, neque de medijs excludere ſulcis
Poſſumus armatas acies, ceu tempore priſco
Thebanis ſegetem bellantum eduximus aruis;
Nec Dea theſauris præſum, quos exigit ingens
Difficilis Mauors, & inexaturabile bellum.
Sed neque ferre poteſt mitiſſimus ille quereias,
Nec patitur luctus populorum; ſed quoque fidis
Militibus bello meritis, pretia æqua laborum
(Hoc certum, hoc altè fixum) ſtat cuique referre.
Hinc æſtus varij, hinc animi iuſtiſſima cura.
Ne ſuper his verò toties oracula noſtra
Conſulat: Hunc vnum Pallas diſſoluere nodum
Perplexum nequeo. Nec tu, qui cætera, ductis
Orbibus & ſpiris, obſcura arcana recludis,
Difficile hoc, ſtudioſe liber, problema reſolues.
Talibus effata eſt Pallas; tum denique eburno
Surrexit ſolio: dextrâ læuâque ſequuntur
Diuæ immortales: ſtellati ſyrmatis aurum
Suſtentant fidæ comites: Illa vndique lucem,
Quà graditur, cœlo ſpargit; perque atria longa,
Secretaſque aulas, Iouis alta in tecta receſſit.

Præcipites teneat? Quantò id magis obuius amnis,
Aut rupes poterit? Verùm formidinis hoc eſt
Eligere in rebus ſubitis peiora, nec vllam
Ferre moram, atq; illuc, quò mentem pertrahit atri
Terroris nutus, ruere illico. Falleris ergo
(Da veniam inculcanti eadem; nam carminis huius
Vtilitas potior mihi laude eſt) falleris, inquam,
Quòd te in quadrigâ currente quieſcere cenſes,
Atque è ſtante loco iactu te impellere certo
Deceptus reris; nec vim tibi ineſſe trahentem,
Effuſis quà fertur equis rota feruida, ſentis.
Quod ratione pari poterunt te plura docere.
Nam ſi, diſtentis dum puppis it incita velis,
Deijcias lapidem ſummo de vertice mali;
Hunc recto in ſpeciem lapſu deſcendere ad imum,
Nec minimùm à prorâ curſum obliquare videbis:
Idque ideo, curſu nauis quia fertur eodem
Iam priùs impreſſo, vimque illam ſeruat, ab alto
Dum cadit, atq; vnà in partes transfertur eaſdem.
Falleris vlteriùs, quòd ſtans vereare pericla,
Quæ præſentia equos effrenes illico ſiſtent.
Namque hos in curſum effuſos & ſponte ruentes
Quod præceps rupes, aut ripa, aut fluminis vnda
Hauſerit; id, credo, vix fortè audiueris vnquam.
Innumeris contra cædem, aut miſerabile vulnus
Lethifer iſte tulit properâ formidine ſaltus.
Hęc longè vtiliùs noris, quam ſi angulus in tres,
Aut quotuis æquas partes tibi rite ſecetur:
Aut extrema inter duo ſi totidem quoque eadem
Continuâ in ratione tibi interpoſta locentur.
Iſta globis poterunt quippe vnum æquare duobus;
Illa autem in numero viuentum te retinere
Interdum valeant, donec tibi ſtamina Clotho
Transferat in plenos exhauſto vellere fuſos.

IN-

Nam mihi narranda eſt pulcherrima fabula:
Nempe
Vt prima vrbanos mores induxerit olim
Alma Venus terris , cùm primùm condidit vrbes
Prouida mens hominum Saturni tempore ; vt
æreas
Tum Dea furcillas , vitra , & coclearia fœdis
Intulerit menſis , ſtrophijque , & pectinis vſum,
Forficulasq; nigris reſecandis vnguibus; & quas
Sancierit pœnas ructantibus ore Falernum,
Quasque manu nares fœdè emungentibus , & quas
Denique de plenâ merſo ore bibentibus orcâ.
Digna cani res eſt: Nam prima exordia ſumpſit
Fortuitò è cœnà , quam , gentibus vrbe coactis,
Cùm celebranda forent certo connubia ritu,
Tum primùm Sponſis Fauni Satyrique dedere.
Ad quos alma Venus pariter delata quadrigis,
Cum Nymphis accita ſuis ex æthere venit.
Ergo quid acciderit diuæ inter fercula; vt illas,
Quas monui, vrbanis ſeruandas gentibus , inde
Extuderit leges; vt deinde Hetruſcula eaſdem
Auxerit, atque alias adiecerit Arnia (nomen
Hæc Arno dedit, Hetruſcis dedit altera Nympha)
Hinc canere aggrediar &c.

SOMNIA.

QVàm vario mihi tetra abijt nox concita
Morpheo!
Elyſij in primis campos per ſomnia vidi,
Et tacitum Lethen, animaſque in lumen
ituras,
Quæ fluuio acclines obliuia longa bibebant.
Has inter procera ſenis venerabilis vmbra
Horrebat latices pigros, atque ora negabat
Mergere ſomniferâ in lymphâ; nec ſydera rurſum
Aſpicere & ſolem tanti cenſebat, vt æquo
Ferre animo poſſet tot parta laboribus olim
Perdere, tantarumque haurire obliuia rerum.
Hic ille Adriaci decus immortale Senatûs
BEMBVS erat; claro quem nomine cætera turba
Compellabat, vt ad ſuperos de more migraret:
Nam Phœbus reditum impetrauerat illius, etſi
Elyſij nondum iuſtos expleuerat annos.
Ille autem tot præclaras, quas hauſerat, artes
Adduci haud poterat triſti vt demergeret amne.
Hæc intempeſtâ vidi, vt reor, abdita nocte,
Cùm nebulis ſomnus mentem grauioribus vrget.
Dein verſa eſt ſcena. Elyſijs abeuntibus, atrum
Transferor in pagum, quò gens confluxerat
ingens,
Condenſique forum miſcebant murmure magno
Agreſtum cœtus, atque innumerabile vulgus.
Nundinæ erant, queis ad libitum ſe quiſque
viciſſim
Permutare alio poterat, ſi nempe pigeret
Fortè ſui quenquam, inque alium migrare proinde
Vellet,

Vellet, permutando, vt mercatoribus eſt mos.
Ipſe autem cum ruricolâ præſente videbar
Re ſuper hâc altercando de more paciſci.
At, bene penſatis hinc atque hunc omnibus, aſper
Villicus adduci haud potuit. Se nempe beatum
Conditione ſuâ aiebat, qui duceret annos
Tranquillos, cui nulla animis abſcondita cura
Pectora perfoderet ſtructo intra viſcera nido.
His quoque diſcuſſis, aliud mihi in æthere Morpheus
Obtulit ante oculos monſtrum. Mauortia namque
Stella adeò terris acceſſerat igne propinquo,
Vt cæco in Phœben impegerit acta rotatu,
Quæ rimam duxit vegrandem; atque inde per auras
Lampades, & rutili prodibant vndique lychni,
Innumerique globi, & faculæ, bullæque pluebant.
Vah! quibus inconſtans lepidis comœdia mimis,
Nil mentem veritis, animi in penetralibus acta eſt!
Dic age, dic, Morpheu, qui talia ludicra fingis,
Vt diuerſa adeò, ſerie nexuque ſine vllo
Tam vario occurſu tot rerum exotica miſtis
Vndique imaginibus truncis ſimulacra ferantur.
An, veluti puerûm diſcentum è gymnade plenâ
Doctor vbi ſeſe paullùm ſubduxerit, illi
Continuò hàc illàc nugis & murmure multo
Diſcurrunt varij; haud aliter, ratione magiſtrâ
Tantiſper ceſſante, omnis turba illa volucris
Spectrorum, vt catuli caueis laqueiſque ſoluti,
Protinus exiliunt, & feſta tripudia ducunt?
Sic reor. In nobis eſt quædam nempe facultas,
Peniculis viuis ſe ſponte mouentibus, omnia
Ad viuum referens. Hanc mens regit ordine certo
Aſſiſtens operi, & præſcribens ſingula nutu.

Ni faciat; volat illa exlex, deliria pingens,
Qualia murorum in limbis deſcripta videmus;
In quibus interdum gryphi de vertice natum
Conſpicimus florem, cui ſtans in culmine Syren
Ædiculam manibus geſtat, quam tænia longa
Alligat, atque hanc apprenſam grus ſuſtinet vngue,
Cui roſtrum in frutices & baccas, criſtaque in vuas
Deſinit: Haud ſecus hæc pictrix inſana vagatur.
Sic pueri conſcribillant quæcunque papyro
Ad calamum veniunt: Sic leni concita vento
Lympha tremens torquet rerum ſimulacra ſub vndis.

Hæc vis ante alios inſano concitat œſtro
Aonios vates. Nam dura in marmora verſam
Tantaliden, & matre ſatos tellure gigantes,
Et reparantem artus ſæuo in certamine Orillum,
Nec non roboribus textum, atq; in mœnia ductum
Inſtar montis equum, congeſto milite fœtum,
Atque hippogrypho ſubuectum Atlanta per auras,
Et quæcunq; olim cecinerunt monſtra Camœnæ;
Talia non ratio, non mens (quippe abſona) cudit;
Sed ſenſus parit iſte amens, mentiſque magiſtræ
Explicat ante oculos. Illa autem digerit omnia,
Inque vnum cogit, delectu ſingula multo
Expendens caute, ſtatuitque ſimillima vero,
Iiſdemque inſtillat mores, præceptaque vitæ,
Collocat & mutat, variaque in luce reponit,
Donec in integram coëant idolia formam.

DE CUCURBITA ET CEDRO APOLOGUS.

CEdrus in aprico pulcherrima creuerat
horto,
Cui ſenſim adrepens intorta cucurbita
trunco,
In ſummum culmen paulatim euaſerat. Vt ſe
Ex humili areolâ ſublimem vertice in illo
Vidit, & in ramis turgentes vndique natos,
Vtq; ſuos flores, folia amplaq; circumſpexit,
Et ſe maiorem decuplo ceruice coloni;
Intumuit faſtu quantùm nec Tantalis olim
Auſa gemelliparam præ ſe contemnere Diuam.
Iamq; cucurbitulis miſceri aurantia mala,
Gnatis nempe ſuis, & odoros ſerpere cedros
Inter natiuos calathos, atque inſuper ipſos
Velle ſuo citrinos ramos ſe iungere cauli,
Diſſimulans quamuis, ægrè grauiterque ferebat.
Præterea rure exceptus dum circuit hoſpes
Areolas has atq; illas, & ſingula luſtrat,
Attonitus monſtro, Quàm vaſta cucurbita! nuſquam
Turgidiorem, inquit, vidi. Peragrauerat ille
Italiam, Belgas, Hollandos, atq; Britannos,
Credo etiam Ægyptum, & Syriam luſtrauerat
omnem,
Nec ſimile in terris portentum inuenerat vllis.
Hinc alij atq; alij acciti, quos fama trahebat
Hortenſis dominæ. Mirantur vt ardua tantam
Extulerit molem; vt centum circumdata natis,
Cœlicolas inter veluti Berecynthia mater,

Creuerit in ſuperos. Quod ſi fortuna dediſſet
Proceræ adiungi platano, aut ſi fortè cupreſſum
Nacta foret, nil tale ſuis iactaret in hortis
Gallia, non ipſe Alcinous, non regia Memphis.
Nec ſatis. Actum eſt vt ſenio cùm denique victa
Ceſſerit extremo (nec enim ſub ſole perennis
Semper erit) nemo tentare latentia cultro
Viſcera, nec furuis inferre lebetibus auſit:
Sed maneat, dum fata ſinunt: Tum denique, ſaxo
Inſcripto, æternum monimentum in ſæcla ſuperſit.
Quo plauſu tumefacta iterum ſic creuit, vt ingens
Vix ferrent pondus tres duro è robore pali,
Quos ruris dominus ruituræ ſubdidit aluo.
Tum verò ingemuit cedrus. Mihi ſcilicet, inquit,
Antiquâ de ſtirpe ſatæ (proh Iupiter!) iſta
Nata recens, lunâ anteactâ quam ſerpere betas
Inter & aſparagos, naſcentiaq; allia vidi:
Cui (dictu fœdum) nuper de ſtercore equino,
Quod non in partes olitor diuiſerat æquas,
Lis ingens cum caule fuit; quam denique ſulco
Marcentem putri noſtrâ proteximus vmbrâ,
Ac demum precibus noſtro ſe adiungere trunco
Orànti dedimus: nunc partis aucta repentè
Diuitijs, coram ſpectanda cacumine in alto,
Inque dies creſcens, mihi nempe inſultat agreſtis,
Immemor, ingrata, & toto mihi vertice ſupra eſt.
O magne Amphitryoniade, qui noſtra, dracone
Extincto, Heſperijs quondam mala aurea ab hortis
Subduxti in ſuperos, menſæ apponenda Deorum;
Nunc ò nunc iſtis, ſupplex precor, exue nodis
Inſontes ramos, indignaque vincula ſolue.

Talibus

Talibus infelix dura infortunia flebat.
At non Alcides optatum præſtitit ægræ
Auxilium, caſu quanquam perculſus iniquo,
Cælicolûm veritus riſum & conuitia Olympo.
Nam qui ſermo foret, quæ toto fabula Cælo,
Exantlatorum quondam ſi forte laborum
Poſtremò cucumis memorandum clauderet agmen!
Hæc natum Alcmenâ iuſtiſſima cura tenebat.
Accidit interea vt natus pluuio æthere fungus,
More ſuo tectus pando enormique galero,
Aſtaret coram: quo læſa Cucurbita agreſtem
Obſequij immemorem, telluris putris alumnum
Bis terque increpuit. Quid enim, ignauiſſime, noſtrâ
In ditione audes prodire iniuſſus ad auras,
Progenies terræ, nebulo, morum inſcie, & omnis
Expers officij, quem nec reuerentia noſtri,
Nec ſobolis tangit? te te, inquam, tecte cucullo,
Atque illâ vmbellâ, capiti ne frigidus aër,
Aut æſtus noceant. Sic illa. Haud ſeciùs ille
Moribus antiquis, vrbanæque inſcius aulæ,
Vertice perſtabat cooperto: &, Militis, inquit,
Iura ſcio: nulli galeam demittimus; hic mos,
Excubiæ quoties noctu, aut ſub ſole geruntur;
Et mihi nunc ſtatio ſeruanda. Hunc villicus ergo,
Quòd reginam horti tali deſpexerat auſu,
Iudicio properè caſtrenſi more peracto,
Damnauit capite. Infelix citrinæ arbori adhærens,
Cuius ad apricam noctu ſuccreuerat vmbram,
Nequicquam implorabat opem. Nec profuit illi
Quòd Capitonum eſſet de gente, & tegmen haberet

Aſſutum collo. Dictu miſerabile! ſectus
Membratim, capite auulſo, dedit illico pœnas.
Hæc tandem aſpiciens ſummo Tirynthius axe
Non tulit vlteriùs faſtum; vltricemq; per auras
Demiſit ſacram Nemeſim, quæ ruſtica corda
Agreſtum exciret, iuſtâque accenderet irâ.
Illa patrem ruris; ſeu Mopſum, ſiue Menalcam,
Seu quisquis fuerat, ſtrumoſæ coniugis ora
Aſſumens adijt, patulâque in lance moretum
Egregiè toſtum, longè redolentibus herbis,
Oſtendit; ſimul ex oculis, ceu fumus, in auras
Excedens, tremulo riſit de nube cachinno.
Namque abiens ſæuam miſero intra viſcera orexim
Liquerat, atque olei fricti nidore fragranti
Afflarat nares; quo percitus omne repentè
Circuit ille penu, ſed fruſtra; nam Dea cunctas
Clauſerat ante dapes, ipſiſque refixerat vſque
Cruſtula decipulis, pulloſque fugauerat omnes
Accipitre immiſſo. Scrutanti ergo vndiq; tectum,
Præque æſtu bilis conuitia amara vomenti
(Cogit enim veſana fames ventri indita) tandem
Illa ampla, illa ingens, decumana cucurbita votis
Opportuna ſubit. Volat illuc protinus; atque Heus,
Inquit, vt egregium duxti, Matrona, maritum!
At tua nunc importunus connubia triſto;
Nam me morbus habet ſæuiſſimus, & dolor ingens,
Qui bilem ex imis ciet vnguibus, vnaq; læſo,
Nympha, potes ſtomacho (quod ſupplex oro) mederi.
Talibus inſultans caulem ab radicibus vnco
Diſ-

Diſſecuit cultro. Paulatim culmine ab alto
Labitur infelix. Riſit Pomona cadentem,
Riſere hortenſes Nymphæ, nec ſe tenuere
Sub terris napi, rapunculus, allia, porri,
Imaq; plebs olerum. Coniurata omnis agreſtum,
Certatim in nigram rapiebat turba coquinam.
Exin bis quatuor menſa inſtaurata diebus,
Feſta velut cæſo ingenti Ianûaria porco,
Aut lætum domini celebrarent rura Hymenæum.

CHRISTOPHORO CEVÆ
è Soc. Ieſv.
De eiuſdem verſione latinâ Torquati Taſſi.

AFflatus Muſis, & ſacro percitus œſtro
Qui potuit numeris epicum conſcribere carmen,
Atque opus integrum conſtanti abſoluere Phœbo;
Huic ita mens, vultus animi, & tenor indolis, ipſâ
In ſerie textuque operis nitet, vt nec Apelles,
Nec Zeuſis, credo, telis expreſſerit olim
Quenquam adeò ad viuum, quàm viuâ in imagine mores
Exprimit ille ſuos, geniumq; animumq; colorat.
Hinc te Torquatum in magnum, germane, migraſſe
Crediderim, quando ſic illum carmine reddis,
Et Latio donas, vt non alio ore tubâque
Ipſe olim Auguſti quondam ceciniſſet in aulâ,
Si Latio illa ætas eadem argumenta tuliſſet.
Quæ tam rara fides! vt, qui volitare per auras
Ipſe tuis poteras liber trans nubila pennis,
Alterius genij tranſire in vincula ſponte
Malueris? Nam qui primùm rem conficit auctor
Aſpera multa tegit blandi dulcedine rhythmi
Non alio placitura ſono; multa abſtinet idem,
Natiua interdum quòd non ſit conſona menti
Lingua ſatis; multa aſſurgunt, quæ pigra iacerent,

Quòd

Quòd numeri aſpirent, aptèque ſonantia verba.
At contra interpres non rebus demere quicquam
Audet, ne fidei deſit; non addere, ſiquid
Suggerat interdum mentis calor, ipſaque poſcat
Pauperies linguæ, aut rigidi lex improba metri.
Et mihi quondam animos idem ſuccenderat ardor
Regis Agramantis Mauortia bella legenti
Obnixo ſtudio lectiſſima quæque per amplum
Sparſa opus, hàc illàc decerpta ex principe vate,
Italico è plectro in Latias deducere chordas
Si poſſem. At quantum mihi ponderis incumbentis
Continuò ſenſi! quantùm terroris ahena
Illa tuba attonitis Muſis Pindoque ferebat
Ære ſuo! Primus calamo ſeſe obtulit ille
Sorani Ducis infelix ante ora peremptus
Egregius natus, quem ſæuus Dalmata captum,
Inque ſcapham ductum, coram genitore fremente
Eridani in ripâ, crudelis ſuſtulit enſe.
Hanc ſcenam ante oculos quibus ille coloribus ornat
Diuinus vates! Quantus tonat ore! quibus ſe
Inſinuans lacrymas extorquet viribus? Audi.

Qui ſenſus tibi, Dux Sora, quæ mens fuit, ecquid
Conſilij? vt natum circumſeſſum vndiq; ab hoſte
Mille inter ſtrictos gladios galeâ exui, inermemque
In lembum duci, & iuſſum capite illico plecti
Vidiſti coram ſupponere colla ſecuri?
Vt poteras oculis ſpectacula ferre? nec idem,
Qui puero, vitam pariter tibi ſuſtulit enſis?
Dalmata crudelis, quæ Colchis, quæ Scythia vnquam
Hoc agit, vt bello captum, qui deditur, armis
Iam poſitis, nec ſe defendere nititur vltra;
Hunc tamen è medio tolli conſentiat? Ergo
Quòd puer infelix patriam defenderit armis,

Quòd patri in bello comes hæſerit, impie, ferro
Exigis iccirco pœnas? Tuque iſta ſub axe
Execranda oculis hodie, Sol, aſpicis æquis?
Nec fugis, vt quondam, tot quando hæc noſtra Thyeſtas,
Immaneſque Atreos crudel'a ſecla tulere?
Florentem iuuenem letho, ſcelerate, dediſti,
Quo non Mauortis ſtudio præſtantior vſquam
Litore ab occiduo fuit alter ad vltima regna
Auroræ. Poterat teneræ ætas, formaque vultûs
Flectere Cyclopem; at non te, Læſtrigone quouis;
Atque Anthropophago, & ſemifero Polyphemo
Peiorem. Nunquam veteres exempla dedere
Talia, queis ſtudio mites ante omnia mores,
Atque animi exculti. Haud illis poſt prælia quicquam
Fellis erat, non altè animis defixa manebat
Ira memor... Sic ille meo nunc ore; ſed ore
Non ſic ille ſuo. Quantum transfuſa vigoris
Maſſica deperdunt, tantum mihi carminis huius
Translati perit; & tenues vaneſcit in auras.
Nam licèt & ſenſus, & verba fere omnia fidus
Reddiderim; eſt aliquid quod deeſt tamen. Attamen iſtud
Haud facilè quiuis norit, niſi nouerit illud
Difficile atque altè abſtruſum, quo carmina viuunt:
Nec viuunt alio, quàm moribus, indole, & ipſo,
Vi quadam genij, transfuſo in carmina vate;
Sed vate egregio Cyrrhea ad flumina nato,
Quem citharâ, & ſacris donarint Numina lauris.

BO-

BONUS ANACHORETA

Inter DEVM ; & Cacodæmonem ſequeſter pacis.

NIliacæ, vt perhibent, ſenior quondam incola eremi,
Simplicis inſtar aquæ, & miti ſine felle columbâ
Mitior, & venâ antiqui ſincerior auri,
Iamdudum in ſcopulis, nemorumq; receſſibus æuum
Delicias inter diuûm traduxerat. Olli
Iugiter oranti, & glebas dum verteret horti,
Et dum fiſcellas vitreum prope texeret amnem,
Inter opus comes humano placidiſſimus ore
Sæpe aderat Deus. Et potuit bonus ille mereri
Inuidiam ſuperûm; genius niſi ſæpe malignis
Otia turbaſſet malus artibus. Ille legenti
E manibus toties difflare volumina in auras;
Auſus & ore graui bis terque halare mephitim
Sulphuream, propiùsque à tergo extinguere lychnum.
Tum varijs terrere modis, modò noctua, nunc ſus,
Nunc leo; & interdum qualis quantusq; videri
Cornibus & flammeo vultu ſolet ille ſub orco.
Nec tamen iraſci ſenior, nec dira precari,
Nec procul, vt decuit, ſceleratam auertere peſtem
Increpitans dictis. Quin ab radicibus imis
Tot quondam ſe poſſe ratus conuellere turbas,
Secum animis ſtatuit, litem, caput omne malorum,
Ipſius à mundi exortu, quæ numen, & inter

Regnatorem Erebi vertit, componere dexter,
Fœderis inter vtrumq; auctor, paciſq; ſequeſter:
Ergo dies noctesq; vigil ſcrutarier artes,
Rimarique vias, quas poſſet, ſedulus omnes.
Nam ſi, inquit, meditata queant ſuccedere, & iſtud,
Quod terras adeò, quod cœlum, & tartara miſcet,
Hinc atq; hinc odium leniri, & iurgia poni;
Iam nihil eſt vltra metuendum, ipſamq; licebit
Obſignare Stygem, ſecuraque ducere noctu
Somnia, pacatoque frui ſine litibus æuo.
Talia dum ſecum per noctem plurima voluit,
Ecce ſub auroram placida inter ſomnia menti
Adfuit è cœlo Numen, cui gratior alma
Simplicitas, licèt illa parens innoxia ſæpe
Erroris, quàm cæca tumens prudentia faſtu
Grandiloquo, & magnis diues ſapientia nugis.
Atq; vbi, poſt multa in ſolem producta viciſſim
Alloquia, audendi & fandi data libera tandem
Copia quæ vellet; rem totam ex ordine pandit,
Et cauſam ingenuis precibus lacrymiſq; tuetur,
Seq; rogat medium ſtatui, qui fœdus vtrinque
Tranſigat, irarum moderator, & arbiter æqui.
Quid plura? Annuere eſt viſus mitiſſimus illi
Regnator ſuperûm, modò pronum ſiſteret hoſtem
Antiquo ſceleri infenſum, veniamq; rogantem.
Tuq; ait, his lacrymis, & quâ potes arte, rebellem
Aggredere indomitum dictis, ſi cogere poſſis:
Cætera ne dubites. Sic fatus deinde receſſit,
Atque alacrem primo ſucceſſu, hilaremq; reliquit.
Vix capere ille ſinu ſua gaudia, vixque teneri
Quin celer ipſum adeat, modò detur, nuncius Orcum.
Iam prope rem geſſi: ſcabrum potiusq; ſubactum eſt:
Di-

Dimidium facti vltra habeo: Iam tartara cælo,
Spero equidem, ſtabili nexu coniuncta tenemus.
Ecce autem, poſtquam ter lauerat æquore Titan
Flammiferos currus, ter fræna reſoluerat aurea
Alipedum; mediâ intempeſtæ noctis in vmbrâ,
Adfuit ipſe etiam Cacodæmon, vultu habituq;
Æthiopis nigri; ſed cui frons rupta puſillis
Cornibus, & villis crura hirta, pedeſque biſulci.
Namque ferunt hâc lege datum ſe vertere poſſe
In facies hominum; tamen vt ſeſe abdere totum
Ille vafer nequeat, ſuaque illum inſignia prodant.
Cui ſenior (clauſam qui nempe indagine prædam
Crediderat) ſimilis miſeranti, vertere probro
Hanc ipſam ſpeciem, atque amiſſæ munera formæ.
Heu pudor! heu probrũ! quantùm mutatus ab illo,
Qui quondam fueras, velut inter Lucifer ignes
Sydereos, inter ſic pulchrior ipſe ſodales!
Quid labes celas? quid equinas obtegis aures?
Hæc facies? hæc illa tibi lux indita quondam?
Ingemuit nequam, atq; è pectore rugijt imo,
Suſpexitq; polum, & veteris reminiſcitur olim
Delicias patriæ. Quid ſi (bonus inſtitit ille)
Quid ſi, poſt duri tot ſecula carceris, illuc
Regreſſus iterum pateant? (ſiluitque parumper,
Vt faciunt qui læta ferunt, quibus iſta voluptas
Excruciare diu cupidos auidosq; ſciendi)
Tum magis atque magis bonus auceps retia cogens,
Quid ſi non renuat, quin certis legibus, inquit,
Fœdus inire velit, quin & ſubſcripſerit vltro
Arbiter ipſe Deus? Propiùs dein fatus in aurem eſt.
Macte animis: teneo iuratæ pignora pacis:
Regna iterum datur, & patrias conſcendere ſedes:
Vna hęc conditio: venia expoſcenda: rogandum eſt:
Summittenda vltro ceruix: nil poſcitur vltra.

Riſit

Riſit ad hæc Stygius labeo; paullumq; moratus,
Et ſimilis ſecum meditanti plurima; poſtquam
Perfricuit læuum cornu, Cæloque ſereno
Ter lunam ſuſpexit hians, fulgentiaque aſtra,
Lanigerumq; caput ter ſcalpſit: Nil moror, inquit,
Accipio fœdus: rem tranſige; dummodo pactis
Stet iurata fides atq; integra. Non tenuit ſe,
Tanta repentè animos inuaſit cæca voluptas,
Quin rueret ſimplex in colla, atque oſcula ferret,
Queis tamen afflati vultus, ſuffitaque veſtis.
Impatiensq; moræ; quin, ſubdidit, id modò, ſodes,
Conficere eſt animus, dum res calet, & mora quæuis
Vertere cuncta poteſt. Hinc atq; hinc lurida fumo
Terge ora: hunc capiti villoſum aduolue cucullum:
(Ipſe manu ſcapulis hinc inde aptabat vtrisq;)
Retrahe cornicula introrſum, ne vertice acuto
Perterebres pannum. Papæ! vt hęc tibi cornea pellis
Æſtuat igne! (ſimul digitum excuſſitq; peruſtum
Admouitq; labris) Bifidis nunc ingere plantis
Lignea ſandalia: Hoc noſtro lebitone decenter
Compoſitum magno coram te numine ſiſtam;
Atq; preces, lacrymaſq; ſimul miſcebimus ambo.
Hic demum patuere doli, conuerſaq; ſcena eſt.
Cui ſeruire vafer bucco non ſuſtulit vltra.
Quas lacrymas? (caperans frontē nequiſſimus infit)
Quas miſcere preces? quo ſiſtere numine coram?
Quid blateras, delire ſenex? quid homuncio? crudā
Nunc etiam redolens cœnum, argillamq; Damaſci?
Non ita condictum, non iſta in fœdera veni.
Tum nebulis hærere ſenex ingentibus: Ohe,
At non de veniâ liquidò conuenimus ante?
Non ea conditio? Quæ nunc ſententia mentem
In diuerſa trahit? Cui ridens perfidus: O te
Helucum immemorem! Rem ſic intelligo, vt iſtam,
Quam

Quam dicis, veniam pro conditione petendam;
Non ego, qui immeritò læſus, qui pulſus olympo,
Qui patrio è regno in nigrum detruſus auernum;
Sed Deus exquirat ſupplex, dabimusque roganti.
Hoc ego credideram iam te ſtatuiſſe, nec eſſe
In re tam patulâ quicquam diſcriminis. Ergo
Conſtitue hoc primùm. Dein quædam pauca ſu-
perſunt
Componenda etiam. Nam cui pars ætheris illa,
Quæ ad Boream vergit, ſit debita (cuius iniquè
Per vim extorta mihi poſſeſſio) lis erit inde
Longa ſuper, dirimenda iterum vel iure vel armis.
Talia iactanti creuerunt cornua, quercûs
Inſtar montanæ, ſuccreuitque horrida mento
Canities, Regemque nigri ſe prodidit Orci,
Qui nuper fuſci Æthiopis ſub fronte latebat.
Dein terram hircino quatiens pede, clauſtra
profundi
Laxauit, Stygijsque iterum ſe immiſcuit vmbris.

Poe-

Poeſis Theologica
FRANCISCI DE LEMENE
Patritij Laudenſis
Vnde originem traxerit.

IDYLLIUM.

DIuino huic Vati mens vnde inieƈta canendi,
Carminibuſq; datum ſecreta euoluere Diuûm,
Conſcius ipſe, licet iurata ſilentia nollem
Frangere (læſa fides, ſuperique ignoſcite) dicam.
Iam dudum hæc pleƈtra, æthereis nunc conſona pleƈtris,
Optarat ſibi diuus Amor: Tentauerat omnes
Sæpe aditus, & ſæpe manu teſtudinis aureæ
Impulerat chordas, toties quoque finxerat iras,
Vincere poſſe ratus. Verùm iuuenilibus annis
Viuida Muſa, inter pulcherrima diua ſorores,
Heu niueos velare ſinus, heu cogere ſacro
Ceruicem teneram velo, tot prodere amores
Ingenuos, tot delicias, & Cypridis omnes
Exuere illecebras ægrè miſeranda ferebat.
Ægrè vtcunque, tamen numen perferre coëgit.
Namque iratus Amor, torq; aurea ſpicula in auras
Proijcere haud paſſus, ſcabrum rubigine telum
Suſtulit è mortis pharetrâ, ſonitumque metumque
Axe

Axe ciens, nocte & nebulis abſconditus atris,
In tua, Lemene, contorſit viſcera ferrum.
Tum ſuperaſſiſtens, Spolia, inquit, protinus omnia
Huc Veneris redde, huc flammis abolenda ſupremis
Numine quæ inuito venere in luminis auras,
Aut animam dabis hanc: nudo ſimul enſe minatur,
Attollitque ferox propiùs Libitina ſecurim.
Quid faceret tanto miſer in diſcrimine vates?
Quid poterat? quò ſe gemino ſubduceret hoſti?
Annuit infelix oculis, digitoque tremente
Prodidit ipſe ſuæ populanda æraria Muſæ.
Heu miſeræ Heſperiæ, heu Veneri lacrymabile vulnus!
Illic auricomi primæ lanuginis inter
Syluestres calamos, inter tela aurea amores,
Ingenuique Ioci, & Florum certamina amantum;
Quin & Sicelides citharæ, modulataque Ibero
Multa ſono, Latijſque modis, & Gallica metro
Carmina, tum ſocci, & pateræ, tragicique cothurni,
Heroumque tubæ pariter, Mauortiaque arma
Permiſta, aonijs lauris protecta latebant.
Nec mora, quà rigidus Vatis ſignauerat index,
Auſtero data cura ſeni popularier illas.
Delicias omnes, atque omnia perdere flammis:
Qui lacrymis nihil inflexus, nil ſupplice vultu
Plorantis muſæ, genibus pedibuſque volutæ,
Omnia prædari, & nullo diſcrimine in vnum
Ad miſeram congeſta ſimul trahere omnia mortem.
Stabant, heu pietas! funeſta incendia circùm
Et Venus, & mœſtæ Charites, ſi pignora poſſent
Tot cara extremis precibus ſubducere letho.
At durus ſenior lamentis obſtruit aures,
Et vota, & gemitus non exorabilis audit.
Singula quid referam? Nec tantam iuſſerat ipſe
Diuus

Diuus amor ſtragem, nec talem optauerat vnquam.
Et iam cuncta rogus ſolatia prima iuuentæ
Hauſerat vltrici flammâ; iamque omnia circùm
Complerant nebulæ & fumus. Quanquam ille Sabæi
Nidor erat thuris, veluti ſancto igne ſacerdos
Omne vaporaſſet ſacra ante altaria tectum.
Ecce autem in mediâ reſidens caligine mater,
Cui niueis plumis ceruici inſederat ales,
Ex improuiſo ante oculos nitidiſſima fulſit.
Olli ſacra humeros cyclas, tenuiſſima frontem
Carbaſa velabant; ſignataque pectora Sole,
Inſcriptumque DEUM folio candente gerebat.
Tum ſic affari & curas his demere dictis.
Quid gemis, & meritam nil tale auerſa tueris?
Terge iſtos, Clio, terge, ò pulcherrima, fletus.
Has citharas ſibi vult numen: Sed rite, profanum
Quidquid erat quondam, ſuperis fuit ante litandum.
Nunc age, dic vati paret aurea carmina, quando
Ipſe DEUS magni ſe carminis argumentum,
Pro Lillâ, & nugis ereptæ Phyllidis, offert.
Dic animos tollat. Fas illi ſcandere diuûm
Æthereas ſedes, propiùſque arcana tueri,
Et diuinarum nebulas peruadere rerum.
Ipſa adero, iſq; aderit genius, qui proximus aſtans
Ardua Aquinatis diuina Oracula libro
Indice deſignat. Rerum ille abſcondita quæque
Scriptoris magni interpres, mentemque docebit.
Sic ait, inque auras tenues, nebulamque receſſit;
Sed librum, atque auro fulgentia plectra reliquit.
Hæc Lemene oculis fato olim proximus hauſit.
Et quamuis hæc ille neget, ne credite vati.
Ille etiam raptum negat in penetralia diuûm
Se toties, bis terque ſibi per ſomnia mira
Exhibitos ſuperos, oblataque carmina menti.
Sed

Sed celare nequis: eadem hæc te carmina prodant.
An poteras diuina adeò ſine numine fari
Mortalis vates? tune iſta euoluere cantu?
Tu formidatum ſacris ſcriptoribus æquor
Exiguis adeò ſpatijs includere metro?
Cede Deo, & ſuperûm, non hæc tua plectra, fatere?

IN

IN LUCRETIUM.

IMmortalem animum experior, licèt abditus iſto
Carcere detineat vinclis; & ſentio quiddam,
Quod non ex vulgo eſt rerum mortalium, vti ſunt
Cætera, quæ afficiunt ſenſus extrinſecùs iſtos.
Namq; aciem ingenij in me ipſum, vt volo, ſponte reflecto;
Quodque volo, me velle ſcio, atque hoc, quod ſcio, rurſum
Intueor mente, huncq; ipſum intuitum video; atque hinc
Orbibus innumeris in me ipſum complicor. Ergo
Eſt quædam in nobis ſublimi in parte repoſta
Vis dignoſcendi, que ſeſe intelligit, & ſe
Percipit ac ſentit, ſeque omnem cernit & ambit.
Quo fit vt alterius cuiuſque omnino ſit expers,
Sed ſibi tota inſit, ſeque ipſam ideo experiatur,
In ſemet flexis obtutibus, atque retortis,
Ceu punctum, quod mole carens ſe terminat, vna
Et ſimplex, quæ particulis non differat vllis,
Cunctaque diſcernat, quia ſunt alia. Hinc ego, cùm me
Experior, quà ſum rationis compos, ab illis
Diſcernor cunctis, quæ ſunt mea, ceu manus, & pes,
Et cruor, & venæ, & fibræ. Nam, ſi roger an mens,
Quâ video, ſit quicquam ex his, per ſingula eundo,
Abnuerim ſemper; nec erit res ſenſilis vlla,
Quam cernens animus non abs ſe aliam externamq;
Illico reijciat. Non ergo materiai
Quicquam habet ingenitum, quo fiat ſectilis; vt qui
Totus

Totus ineſt ſibi, ſeque ideo ſentitque videtque,
Atque ſui bene conſcius à cunctis refugit, quæ
Compoſti redolent aliquid, miſtoque laborant.
Quod non in brutis animantibus euenit vllis,
Quæ ſi pernoſſent ſe intrinſecùs, experiendo
Intuitu verſo quid poſſint, quidue laborent;
Nec bos fune trahi, nec cornibus illaqueari,
Nec pateretur equus ſeſſorem, iniectaque fræna.
Sed quia difficile eſt animis hoc carcere clauſis,
Fumū inter, nebulasue, quibus domus iſta nigreſcit,
Perſpicere hæc clarè; iccirco trita illa ſciendi
Arridet via nonnullis, quâ fingitur omne
Naturæ effectricis opus non eſſe aliud, quàm
Illud idem quod textor agit, typothetaque iungens
Componensque caracteres; quodque ille, lapillis
Qui ſphynga incruſtat varijs, aſarotaque pangit.
Et quoniam exempla hæc ſunt conſpicua & bene
nota,
Quæ tonſor quoq; percipere, & quæ fœmina poſſit;
His ita perceptis, recluſiſſe omnia credunt
Arcana, hoc vno nimirum quòd ſimili arte
Ingenioq; opifex ſupremus cuncta laboret.
At non artifices cernis quàm ſedulò curent
Artem celare? vt ſe oculis ſubducere vulgi
Pictores ſtudeant poſt lignea ſepta latentes?
Dein credam in patulo atque in luce opera iſta
ſupernæ
Mentis agi, vt poſſit quiuis myſteria noſſe?
Quàm longè præſtat neſcire abſcondita rerum
Naturęque magiſterium, quod prouida celat,
Quàm ſic deſipere & falli? Sed cœpta ſequamur.
Hoc igitur, quod materiæ iam vidimus expers;
Quòd ſit, quòdq; extet, non iſto à corpore ſumit.
Namq; ſui eſt animus iuris, ſeque vndique verſat,
Vt

Vt libuit, quodq; hoc libeat facit arbiter ipſe.
Quin ipſum met corpus agit, refugumq; coërcet
Atque infræne regit, durisque laboribus angit:
Quin etiam ferro nonnulli in viſcera adacto
Confodiunt ſe ſponte; adeò dominatur in iſta
Membra animus princeps, nec agit, niſi vt arbiter, auctor,
Et dominus. Non illum igitur mors lædere poſſit,
Nam, cedo, quid poſſit? Non partes ſoluere, cùm ſit
Simplex atq; incorporeus: non, corpore dempto,
Ædibus eiectum diſpergere, ne ampliùs vſquam
In rerum numero exiſtat; cùm corpore ab iſto
Non habeat quòd ſit; quin iura, vt vidimus, ipſi
Det princeps, liberque ſuo regat omnia nutu.
Nil igitur Libitina poteſt, nil iuris in ipſum eſt,
Præterquam vinctum laqueis quod ſoluere poſſit.
Atqui immortalem negat eſſe Lucretius. Atqui
Vel fingit, vel mentitur, vel iungit vtrumque
Impius. Ecquid enim, ſi talia credidit vnquam,
Spe ductus famæ, atque æterni nominis actus
Illecebrâ, Graij iampridem exploſa reuexit
Somnia Democriti? Quorſum iſtæc gloria parta
Carminibus (nec enim mihi quis perſuaſerit vnquã
Æternum haud ſpectaſſe decus; nomenq; futurum
Immortale ſibi) quorſum, inquam, hæc gloria parta
Carminibus, ſi poſt cineres haud tangeret vlla
Laus animam, cuius ſupereſſent ſemina tantùm
Seminibus reliquis permiſta, & ſparſa per auras
Omnino cæca, & nunquam coitura deinceps?
Nemo hominum, reor, hoc ſentit; quanquam aſſerat ore
Interdum nonnullus, ne ingenij videatur
Ex vulgo reliquorum, ſed rari ac peregrini.
Talia nec quiſquam velit vnquã credere: Namq; hic
Infelix

Infelix foret, atque ærumnoſiſſimus inter
Mortales, furcis addicto triſtior; vt qui
Tetram expectaret mortem, quâ totus obiret;
Quod ſaltem ignorant pecudes rationis egentes,
Quas penitus mors abſumit nil tale timentes.
Vni hominum generi tantùm expedit iſtud; eorum
Nimirum, qui iam dudum aſſueuere tremendis
Flagitijs, quos dira animi præſagia quædam
Terrificant, iuſtaſque euadere numinis iras
Vltoris vellent, quem non exiſtere mallent;
Illius aut ſaltem cuperent eludere fulmen,
In nihili latebras, & inania cæca recepti.

DE PALLADE ET BOMBYCIBUS FABULA

CHRISTOPHORI CEVÆ è Soc. IESV.

Concipiat ne quiſquam animo temeraria vota
Ingenio maiora ſuo, ſi grandibus auſis
Magnorum Dux fida operum natura repugnet,
Nullo abolenda die bombyx documenta reliquit.
Siluarum in latebris opulenti ſtaminis olim
Artifices tinea vitam ſine honore trahebant:
Certantisque aurò flaui miracula fili
Linquebant vulgò aërijs pendentia ramis
Diſcerpenda Notis. Aquilo rapiebat auarus
Arboreis innexa comis patrimonia ſilua
Diuitis, & raptum pretioſi velleris aurum
Præbebat ſubigenda tuâ molliſſima penſa,
Orithyia, manu, tela vt ſubtegmen acutis
Insereres radijs, Phrygiamq; operara Mineruam
Dædaleo variaret acus diſcrimine textum.
Prima ſed ignotas retegens mortalibus artes
E ſiluis Pallas flauentia ſtamina in vrbes
Tranſtulit, & noſtros docuit contexere in vſus.
Cùm turgens animis ſeſe extulit, auſa Mineruam
Spernere, Mæonia ventoſa ſuperbia Arachnes.
Lanifici inuentrix operis tum flaua virago
Ignotas deprompſit opes, fila aurea ſerum;
Vt pretioſa ſua laudes oſtenderet artis

Mate-

Materies. Dignas poſtquam infelicibus auſis
Inflixit pœnas victrix certamine Pallas,
Et veteris fruſtra non immemor artis Arachne
Incœpit tenues ordiri pendula telas:
Reptantum ſoboli, quæ mollia diutis alui
Munera præbuerat, meritas Dea ſoluere grates,
Acceptisque parat maiora rependere donis.
Ergo affata duces plebemq; ingentibus omnes
Promiſſis onerat, ſtimulans inhiare ſuperbis
Muneribus, magnæq; acuit mercedis amorem.
Laniuomæ proceres turbæ, atq; ignobile vulgus
Arrexere animos, & plurima mente volutant
Conſilia, ancipites (quoniam eſt oblata facultas
Quidlibet audendi precibus) quæ munera poſcant.
Hinc atq; hinc vario diſcors ſententia motu
Alternat, tenuiq; inter ſe murmure muſſant.
Grandæui bombycum ineunt ſuffragia patres,
Conciliumq; vocant Othonytraphus, Ergochlanesq;
Nethoades, niueumq; vomens Byſſoſtomus ore
Stamen, Eneugopocus nendi celeberrimus arte,
Serotimus, textorque operis flauentis Hyphanter,
Atq; alij coëunt, quos longo obſcurior æuo
Fama tegit, generosâ omnes à ſtirpe creati
Seriadum proceres, & lumina prima Senatûs,
Verſauitq; diu ambiguas diſcordia mentes.
Peſſima tandem animis ſententia mordicus hæret:
Idem omnes ſimul vrget amor ſe tollere in auras,
Aligerûmque augere greges. Tunc talibus orſus
Nemaplecax, omni ex numero maturior æuo.
Si noſtra te tangit amor, ſi gloria gentis,
Exorare tuos, inquit, ſine, diua, clientes
Concordi quod mente rogant communia vota.
Liuida nos natura ſolo reptare coëgit
Indecores, noſtraq; inuidit honoribus artis.

Heu pudet immundo verſare in puluere corpus,
Inque luto cunctis veſtigia ſordida membris
Imprimere. Erecto ſaltem in ſublimia vultu
Non adeundum alis cælum ſpectare liceret.
Quot ſuperas carpunt auras animantia pennis,
Quæ nullis agitant inſignia laudibus æuum?
Et nos, facundo trahimus qui viſcere fila
Digna Deis, tenuesque Ioui contexere amictus,
Serpere humi natura iubet? Quâ dote volatum
Crabronum meruere greges, & inutile fuci
Vulgus, inexpletamq; ſitim qui ſanguine paſcunt
Affixi culices longâ oris cuſpide venis?
Quid muſcarum agmen referam, paſſim omnia fœdo
Quæ violant morſu, quocunque procacibus alis
Ingluuies immunda volat? Quas turba volantum
Exercent noſtris æquandas artibus artes?
Illecebris aures mulcet philomela canoris:
Egregium nos laudat opus, non gratia linguæ.
Delibans hortis fragrantes veris honores
Mella laborat apis; ſed nectar ſordeat Hybla,
Nobile ſi filum ſpectes pretioſius auro.
Sed quid plura? meis iniuria nota querelis
Non eget vt pateat; dilucida ſeſe aperit res.
Ergo, ſi precibus, lacrymis ſi flecteris vllis,
Hoc Dea nos probro, ſeroſque exſolue nepotes,
Atq; tuo liceat pigrum nos munere corpus
Erigere, & plumis tranare recentibus auras.
Hæc ait, aſſenſuque omnis fremituque ſecundo
Dat verbis pondus circumglomerata iuuentus.
At Dea non facilem votis audacibus aurem
Præbuit, auerſata preces ſua damna rogantum;
Et vana hortatur correptos laudis amore
Vertere conſilium, & ſtolidam deponere mentem.
Veram, inquit, doni falsâ ſub imagine, pœnam
Poſci-

Poſcitis, & vetitum fruſtra affectatis Olympum.
Prouida vos finxit communis cura parentis
Alarum expertes. Furor eſt obſiſtere fatis,
Atque nouas rerum artifici præſcribere leges.
Si volucres tergo pennas natura negauit;
Ingeniumque aliaſque dedit non inuida dotes,
Exiguoque animos ingentes corpore clauſit.
An leo ſiluarum princeps, & prima ferarum
Gloria, quòd careat plumis, incuſat auaram
Naturæ inuidiam, & tacitâ ſecum æſtuat irâ?
An genus humanum pennatæ gloria gentis
Vrit, & implumes queritur torpere lacertos?
Splendidus illecebris vos ludit inanibus error.
Optatæ incaſſum plumæ ambitioſa voluptas
Quàm leuis eſt, & quam grauibus redimenda periclis!
Quot parat inſidias auibus, quot repperit artes
Hoſtile ingenium miſerarum in damna volucrum!
Viſcatas calamis fraudes circumlinit auceps,
Textilibuſque dolis incautas decipit alas.
Ipſum etiam in volucrum clades cælum educat hoſtes
Aërios. Quoties ales dilecta Dionæ,
Populeâ dum fronde gemens ad lumina ſolis
Explicat alarum pompam, ruit æthere ab alto
Miluius, & prædam tenet vnguibus, & premit ore:
Inde per exta libido gulæ, perque oſſa vagatur
Impatiens; miſeranda volant veſtigia cædis
Sanguine rorantes plumæ, ſemeſaque pleno
Gutture fruſta cadunt ſaturi faſtidia roſtri.
Quærite nunc alas, ſi ſponte volantia fata
Accelerare iuuat, ſpecioſa optate pericla.
Ah! veſtra niſi nulla mouet vos cura ſalutis,
Hanc precor, hanc mentem exuite, & conuertite inanes

Ad meliora preces, ſtolidumque retexite votum.
Dixerat. Aſt animis inoleuerat altiùs error
Improbus, & ſurdas monitis durauerat aures.
Ergo eadem cunctis mens perſtat, & acriùs inſtant,
Propoſitumque premunt. Doni exitialis amorem
Increpuit Pallas, fruſtraque ſalubria rurſum
Conſilia obtrudit. Tandem indignata proteruis
Reptilibus uat terga, & iuſtâ excanduit irâ.
At flaui artifices villi, poſtquam irrita vota
Succeſſu caruiſſe vident, effundere viles
Decreuere animas, miſeramque abrumpere vitam.
Infauſtum aggrediuntur opus, quod prodiga lucis
Ira, pudorque iubent, mortiſque inſana libido.
Quiſque ſuam nitidi fabricat ſibi velleris vrnam,
Seque aurâ fraudans vitali, ac munere ſolis
Mollibus expectat fata accerſita ſepulcris.
Iam vigor incluſos tumulo defecerat artus,
Iam ſtygia exigui tranabant flumina manes.
Mox Acherontæi vecti trans gurgitis vndas
Elyſium ſubiere nemus, ſyluæque comantis
Hærentes folijs aluo prægnante remittunt
Stamen, & exacta peragunt imitamina vitæ.
Ipſa tenebroſi coniux Iouis arbitra Ditis
Aurati miratur opes Proſerpina villi:
Eumenides ſtupuere, comas ſtridentibus hydris
Implexæ, obſtupuit nigri regnator Auerni.
Palladis interea ſopita reſederat ira,
Seriadumque nemus repetit, cui crine ſoluto
Occurrunt Dryades, referuntque indigna relatu
Funera. Non ſicco triſtes Dea lumine caſus
Excipit, & lacrymis curas teſtatur obortis.
Flet tamen vberiùs, laceratque à pectore veſtes,
Cùm funeſtam oculis ſcenam propioribus haurit,
Suſpenſaſque videt lugubribus vndique ramis,

Texti-

Textilibus tineas vitam exhalaſſe ſepulcris.
At non vana gemens ſterili terit otia fletu.
Traijciens Lethæum amnem, atque imperuia Ditis
Oſtia, iactura impatiens, decreuit auerno
Lanificas reuocare animas, & dona daturam,
Quæ cupiunt, horrenda Stygis per flumina iurat.
Muneris oblati illecebrâ reptantibus vmbris
Vita iniectus amor. Remeant ad luminis oras;
Mox iterum in tumulos, in membra carentia luce
Se parua inſinuant animæ: Redit ignea virtus
Corporibus; redeunt antiqua in corpora vires.
Dehinc extenſa ſubit volucri tenuiſſima tergo
Membrana, & voto fruſtra potiuntur iniquo.
Ergo auidi donis per inane recentibus vti,
Exiguo terebrant roſtro denſiſſima follis
Lycia, & obſtructum magnâ recludere iter vi
Nituntur. Cælo tandem ſe credit aperto,
Nuper honor Dryadum, bombyx, & cura Mineruæ,
Infima nunc volucres inter plebecula, & alas
Nequicquam quatiens tenues vix concipit auras.
Torpet enim turgens ſine robore corpus, obeſam
Vix tollens ab humo magnis conatibus aluum.
Hærent attonitis ſimiles, nec dulcia carpunt
Pabula, nec liquidi delibant munera fontis:
Non vetera exercent opera, egregioſque labores
Antiquæ immemores artis, curaſque priores
Obliti, ignauumque trahunt per dedecus æuum.
Heu, nihil inuitâ fas quenquam audere Mineruâ!
Nec maleſana vnquam manet exitus auſa ſecundus,
Si vanis natura obſtet contraria cœptis.

DE APIBUS, ET ARANEA.

EIVSDEM AVCTORIS.

Sluâ erat in mediâ diffuſis vndiq; ramis
Arbor opaca ingens, cui longum exederat æuum
Morſibus annorum latebroſi viſcera trunci.
Hic opifex mellis pubes elegerat aptum
Nectaris hoſpitium dulces meditata labores.
Iamq; ſuas omnes partita ex ordine curas
Diſpoſuere fauos: Iam dædala mella laborant
Æmula cælituum ambroſiæ. Sub cortice quercûs
Feruere ſenſit apes ingentis aranea ventris,
Arboreis quæ fortè comis occulta latebat.
Continuò gracili delapſa per aëra filo
Conſtitit ante fores, vbi ſedula turba labori
Nectareo indulget. Liuoris plena veneno
Spectat apum laudes, & cedere neſcia cæcos
Inuidiæ ſtimulos tacito ſub pectore verſat.
Ergo ſui memor ingenij, mentemq; ſuperbam,
Et veteres ſeruans mutato corpore ſenſus
Prouocat ad certamen apes, & talibus orſa
Aligeram increpitat turbam, & ſerit æmula lites.
Diuerſa certemus, ait, de laudibus artis.
Ipſa meam tenui fingam de vellere telam,
Cecropio vos melle fauos diſtendite, & vtrum
Nobilius ſit opus tandem ſpectare licebit.
Obſtupuere hoſtis miratæ ignobilis auſa
Nectaris artifices, humilemq; capeſſere pugnam
Cum vili textrice pudet; namq; æmula turpis
Indecorem fœdat palmam, laudesq; triumphi.
Non certare tamen puduit magis, æmula victas
Ne iactaret apes vltro ceſſiſſe, ſuiq;

Con-

Contemptu ex ipſo vanum affectaret honorem.
Iamq; illa ex aluo tumidâ ſua fila remittens
Aggreditur telam veteris non immemor artis.
Hinc atq; hinc longo deducit ſtamina tractu
Fulcimenta operis, quæ nexa tenaciter altis
Circùm hærent ramis. Stat penſile fundamentum
Aëre libratum medio, cui textilis ædes
Nititur. Hinc mirâ ſe circinat arte per auras,
Et circumducti ſinuoſa volumina fili
In gyrum certâ torquet diſtantia lege.
Vt paruus ſi fortè lapis percuſſerit vndam,
Ducere inæquales æqualiter aſpicis orbes,
Et medio liquidos à puncto creſcere gyros;
Sic fila in ſpiram coëunt, ſemperq; minores
Ordine diſpoſiti ſuccedunt orbibus orbes.
Hos operoſa lares multos ſibi fingit in vſus
Non minùs inſidias, quàm texere ſedula lanam.
Hinc etenim incautas venatur aranea muſcas,
Quæ curis vacuæ dum ludunt aëre aperto,
Curſibus & varijs, varijsq; recurſibus errant,
Hoſtiles ſubeunt fraudes nil tale timentes.
Captiuas auido volucres tum gutture latro
Ceu labyrintheis erroribus irretitas
Aggreditur, prohibetq; fugam, & noua vincula captis
Agglomerat, grauidâ educens noua vincula ab aluo.
Vana reluctantes illæ arctis ſoluere ſeſe
Conantur nodis, & niſibus impatientes
Innumeris quatiunt alas, atque in latus omne
Crura pedesq; agitant nequicquam, artusq; puſillos,
Si quà aditus pateat, liceatq; euadere turpis
Ingluuiem monſtri, mortem patulo ore minantis.
Illa ferox lateri ac dorſo trepidantis inhærens
Prædam infelicem ſæuis complexibus vrget.
Tale peregit opus textrix inuiſa Mineruæ,

Ingenium infelix acuente libidine laudis.
Non ſatis hanc domuit iuſtiſſima Palladis ira.
Hæret adhuc tumidæ maleſana ſuperbia menti;
Vſq; adeò nullâ eſt vitium ſanabile pœnâ.
Interea florum è lacrymis, & olentibus herbis
Elicit ambroſia ſuccos Hyblæa iuuentus.
Ardentes inſtant operi, curaq; ſagaci
Perficiunt mellis cœleſtia munera, regum
Digna ſiti, & cyathis non indignanda deorum.
Omnibus idem ardor; diuerſaque munia quamuis
Diuerſa curent, pars omnibus æqua laborum eſt.
Inuida Cecropiam ſpectabat Aranea turbam,
Aſperſoque ardebat opus violare veneno.
At fidas timet excubias in vulnera promptas,
Quæ tela exacuunt, atque horrida bella minantur.
Miratur tacita ingenium, miratur & artem
Agminis aligeri; lanæque ignobile textum,
Nectareum dum cernit opus, vileſcere cernit.
Diſſimulat tamen infelix, & grandia verba
Iactat, & iniuſtas ſibi vindicat improba laudes.
Hoc veſtrum, inquit, opus, prædatrix turba? per agros,
Per nemora, & montes paſſim exercere rapinas.
Veſtra hæc ſunt ſtudia atque artes: diſcurrere pratis,
Omnia diripere, & populari veris honores?
Nil mirum vobis tam dulcia mella videri:
Nil equidem, nil dulce magis quàm viuere rapto.
Reddantur flores Hyblæ, reddantur Hymetto:
Vernantes repetant agri, & florentia rura,
Quas rapuiſtis, opes, aluearia nuda relinquent.
Veſtra, licèt nectar ſuperent dulcedine, mella
Sunt latrocinij pretium, atq; aliena ſupellex.

Demite

Demite furta, nihil ſupereſt. Iactare rapinas
Iam pudeat. Veſtram, ſiqua eſt, oſtendite laudem;
Nam mellis direpti, hinc atq; hinc flore coacto,
Debetur pratis, non vobis, gloria. Veſtrum eſt
Dedecus, ò latronum acies aſſueta rapinis.
Aſt ego diuitias fœcundo viſcere clauſas
Mecum habeo, mecum ipſa gero, nil quaritur extra;
Materiemq; operis diues mihi ſufficit aluus.
Si noſtros aut grando lares, aut inuidus imber
Diruat, & Zephyri, coniurataq; procellæ
Stamina diſijciant tenues diſperſa per auras,
Nullus erit reparare labor; nam turgida lanâ
Viſcera inexhauſto prabent mihi vellera cenſu.
At vobis male parta rapit ſi mella colonus,
Non leuis eſt iactura; labor perit irritus anni,
Atq; inopi deſunt congeſta alimenta ſenectæ.
Talia iactantem armatum circumſpicit agmen,
Spiculaq; exacuit pubes generoſa; ſed iram
Continuit pudor, & vitâ ſpoliare ſuperbam
Reſpuit, indignans humili ſua tela cruore
Polluere, & turpi ceras fœdare veneno.
Aſt apis ante alias, cui mellea copia fandi,
Talia voce refert, & crimina vana refellit.
Infectum liuore animal, grauidumq; veneno
Talia verba decent. Genus ipſum, ac forma loquendi
Detegit ingenium. Dignas his reddere voces
Nos natura vetat: nam nectare plena, veneno
Verba carent noſtra. At penitus non finxit inermes
Prouida rerum opifex. Non deſunt ſpicula, quamuis
Omne abſit virus. Nullius noſtra veneni
Ira luem irritata vomit, ſed vulnerat hoſtes.

Ergo rapax nos turba, & rapto viuere noſtra
Sunt ſtudia, atq; artes? Tu nos, tu criminis huius
Inſimulare audes, prædonum maxime præde?
Quo monſtrum nunquam natura rapacius vllum
Edidit, aſſidua cui ſunt alimenta rapinæ,
Cui tumet informis muſcarum ſtragibus aluus.
Oſcula nos violis & purpureis hyacinthis,
Oſcula libamus Narciſſis, oſcula calthis.
Sugimus hinc rorem, & pretioſi dona liquoris.
Ad prædas dulces, & amica ad furta videntur
Sponte ſuâ patulo nos ore accerſere flores.
Materiam dant prata Thymum, caſiasq; recentes,
Puniceamq; roſam, & certantia lacte liguſtra.
Aſt illam noſtræ ſolertia perficit artis.
Materies aliena in noſtros vertitur vſus.
Noſtrum opus eſt, nobis generandi debita mellis
Gloria; nos etenim, temerè quos vndique ſparſit
Alma parens rerum, ſuccos miſcemus in vnum,
Temperiemq; damus. Siquid corradimus horto,
Nil patitur damni. Sunt hæc innoxia furta.
Colligimus rorem, quem ſolis adureret æſtus:
Libamus florem, at libato gratia flori
Prima manet, manet idem odor, atq; intacta ve-
nuſtas.
Nectareus ſolùm flori non vtilis humor
Exprimitur, pereunte breuì qui flore periret.
Tu tamen inſano iactas, temeraria, faſtu
Quòd tibi texendi fœcundâ innaſcitur aluo
Materies. Specioſa tibi laus iſta videtur.
Mordicus hanc teneas. Tanti eſt contexere lanam
Ludibrium Zephyri muſcarum in damna volantum,
Vt tua ſuſtineas pro filis viſcera ab aluo
Extrahere, & fibris euulſis ducere telam.
O cæcus, ò tanta merces vberrima curæ!

At

At nos innocuo ſi ſugimus ore liquores,
Quos flores præbent, & olentia gramina pratis;
Fingimus hinc niuei dulciſſima pabula mellis,
Queis, laudes aliæ vt deſint, laus ſufficit vna,
Quòd pro lacte olim Dictææ rupis in antro
Prima recens orti fuerint alimenta Tonantis &c.

AVCTARIVM:

SYluulis noſtris iterum in lucem prodeuntibus nonnullas addere libuit arbuſculas, ſeu potiùs truncos; nimirum fragmenta quædam ex varijs proluſiunculis decerpta, & quidem pauca, ne denſitate moram lectori inijcerent. Carmina verò ſanctioris argumenti differre placuit, ne profanis admiſcerentur. Atq; harum quoq; recentium arborum corticibus, Excellentiſſimi Mæcenatis mei nomen inciſum volo, vt, quam folijs præſtare nequeunt vmbram, eandem à patrocinio humaniſſimi doctiſſimiq; Principis accipiant.

FRAGMENTVM SATYRÆ

Ex Proluſione habitâ ad Rhetores Initio anni literarij

DE COGITATIONIBVS INANIBVS.

QVOD ineunte Martio limaces ſolent, quæ ſuis è cochleis per hyemem obſignatis in tepidum ſolem prodeunt, exertisque corniculis ſubluſtri viſcosâq; ſemitâ proximis parietibus, aut arborum truncis adrepunt: idem & mihi per hæc tempora ſolenne eſt, Auditores. Nam toto ferme anno abditus, atque in me ipſum intruſus ac conuolutus; aperientibus ſe primùm, ac refloreſcentibus literis, nonnihil ex hoc loco, velut exactâ hyeme, in lucem proſilio; quoſdam etiam innoxios aculeos profero, quibus ſubinde in duriuſculum aliquid impingentibus, recolligo me iterum in mea inuolucra, & velut in natiuum oſtreum recipior, ac deliteſco. In hâc ſomni otijq; caueâ quid diu noctuq; moliar, quibuſcum viuam, quas inter tricas, & negotia, ne ipſe quidem ſcio, tot intimos receſſus, & conditoria, tot intro abditas latenteſq; ſpiras habito plenas deliramentis & nugis. Sæpe mihi in mentem venit Vacerra ille apud Martialem, qui calendis Iulijs conductâ domo, atq; è vetere migrans, impoſitas plauſtro bipedes menſas, gerres, amphoras, allia, & caſeum Toloſatem, cæteraſq; do-

domeſticas ſarcinas ſequebatur: & mecum ipſe, recogito, ſi, ex Pythagoræ commentis, migrandum mihi foret ex hoc meo in alterius corporis domicilium, quàm lepidum planè ſpectaculum, darem, ſi, luce palàm, ridiculam omnem ingenij mei ſupellectilem aſportarem.

SED quod ego ingenuè fateor, ſi quisq; fateri
Ingenuè pariter de ſe velit; aut ego, lychno
Illato, ſi poſſim animos cuiusq; latentes
Ingredi, inacceſſosq; ſinus, latebrasq; ſubire;
Forſitan haud diſpar nox pluribus incubat, & mens
Cuiq; ſuis nugis, ſed clam tacitéq;, laborat.
Forſitan ille, ſupercilij quem nube ſeueri
Obductum, taciturnumq; aſpicis, & uereris,
Magnarumq; putas momenta expendere rerum;
Forſitan ille, inquam, de cœnâ cogitat, & rem
Hanc vnam tacitus verſat; populiq; per vrbem
Interea excipit obſequia. Hunc verò macilentum,
Palladiâ atratum tunicâ, quem reris in altis
Nubibus à terris longinquum, hunc forſitan angit
Cura, quòd incauto exciderit carmen pede trunco;
Et reputat ſecum an Seruj ſit opinio tuta,
Quæ docet ad libitum variari nomina poſſe.
Pleraq; ſunt nugis, & inanibus obſita curis,
Non ſecus ac muſcis, quæ ſpiſsâ nube cientur
Muſta ſuper, vel humi circùm marcentia poma.
Non ita papilio nunc his nunc inſidet illis
Floribus, vt mens hàc illàc incerta vagatur,
Et rebus temere inſiſtit delata quibuſuis.
Eſt tibi lis implexa: diu tibi præſtitit aures
Cauſidicus patiens. Tandem perpauca reponit
Ore graui: quæ tu, veluti reſponſa Sibillæ,
Excipis, & tacitus tecum meditaris. At ille,
Dum

Dum rem narrabas, digitisq;, oculisq; furebas,
Ille, inquam, vultu quamuis nutuq; probaret
Omnia, triſtitiamq; grauemq; oſtenderet iram,
Longè aberat tamen; & ſtabulum, ſuaq; horrea, & æger
Villicus, & bos, & vicinus qui negat hortum
Contiguum, atq; alia innumera in diuerſa trahebant
Longè aliò intentum. Rara eſt concordia vultûs
Atq; animi, paucisq; latens translucet ab ore
Ingenium. At vanas, ait alter, non ego nugas
Perſequor, intentus lucro, nummisq; parandis.
Non ego Parnaſſum quendam, Aoniasq; ſorores
Neſcioquas, vatum gerras & ſomnia, curo.
Deliciæ noſtræ fœnilia, paſcua, vites,
Torcula; in his ſolertia, in his labor, & ſtudium, & mens.
At tibi ſi poſſim quoq; pectoris ima latentis
Altiùs indagare; etiam tibi (vera fatere)
Ridiculum eſt aliquid, quò demum hæc omnia tendunt.
Et fortaſſe illud ſpectas, vt epiſtola, pago
Quæ tibi de patrio veniebat ſordida, manſo
Obſignata olim pane, interpunctaq; cultro;
Iam cerâ Hiſpanâ, & cuſo munita ſigillo,
Illuſtri inſignis titulo, te rite colendum
Atq; obſeruandum vulgo ſuper efferat. Hoc te
Vlcus habet, demens, his nugis congeris aurum
Anxius, hinc duræ perfers incommoda vitæ.
Cætera quid memorem deliria? Fingit in arcâ
Ille ſibi nummos, quos non habet; hisq; emit hortos
Atq; armenta, parat conuiuia, fabricat ædes.
Hic ſeſe locat in ſolio, atq; ibi rex ſedet, inde

Iura dat in populis. Ille inter millia pugnat
Denſa virûm, volitatq; furens per tela, per haſtas,
Partiturq; homines medios à vertice ad imum.
Hic ad ſexcentos ſibi vitam protrahit annos,
Et redit ad primam, poſt ſæcula quæq;, iuuentam.
His ſtudijs miſeri meditando impendimus horas.
Interea immortalem animum ad Cœleſtia natum,
Corpore ceu ſtabulo exceptum immundoq; ſuili,
Glandibus his, & quiſquilijs, & furfure iniquo
Paſcimus immemores. Quod ſi iuſtiſſima cura
Interdum ſubeat tumuli, mortisq; propinquæ,
Huic ſuperingerimus confeſtim cæcuba vina
Atq; hilares cœnas. Nimirum arcebimus iſtis
Fata inimica procul: Nec enim Libitina velit ſe
Aut ludo ingerere, aut epulis genialibus, inter
Lucrinas conchas, atq; in gyrum acta Lyæi
Pocula. Proh quantùm caliginis intulit ægris
Primum illud crimen mortalibus! Vt ratio exul
A vero, infelix, delira, incertaq; aberrat!
Vt rebus fluxis, & inani paſcimur aurâ!
Vt ſupremam illam nobis abſcondimus horam!
Vin' tibi, quæ raro expendis, fortaſse nec vnquam
In mentem veniunt, ventura nouiſſima coram
Ad viuum deſcripta, ſuoq; in lumine promam?
Sic reor: His animum ſemel adiecisse iuuabit.
Huc ades ergo, tui, rerumq; oblite tuarum,
Infelix, cui viſus hebes terreſtribus iſtis
Finitur rebus. Poſt hæc mortalia tandem.....
Aſt, ohe, ſatis eſt, inquis. Iam legimus iſta
Clauſtrorum portis affixa, appictaq; muris.
Ne quæſo hæc ſqualens & ruſtica concio in aures
Detonet:

Detonet: aut ſacco ſi perſtat muſa ſub iſto,
Teq; auſtera iuuat medio Carthuſia Pindo;
Huc ades, Anacreon, lætis redimite corymbis,
Atq; aliquid nobis feſtiuo concine plectro.
Dic vt Amor quondam Cyprio de littore turbam
Vino hilarem, ſtrepitu læto, mare duxit in altum
Auratâ cymbâ: mox tempeſtate coortâ
Improbus in nubes fugit, miſeroſq; reliquit
Horriſono expoſitos nimbo ludibria ventis;
Ipſe autem ex alto queſtus ridebat amantum.
His vtiq; atq; alijs dabimus genialibus aures.
At nata è tumulo monita exequialia, & iſtam
Luctiſonam cytharam ſacra in Cineralia differ &c.

INANIS GLORIA.

Luſus Poeticus.

O Nata Auroræ in gremio, ridentibus
aſtris,
Ad Zephyros molles, pulcherrima
filia Solis,
Gloriola! O Pindi, & Cyrrhæ, diæq; Mineruæ
Riſus, ocelle, Charis blandiſſima! Et o mala
peſtis,
Et ſcabies, partu cum Circe nata gemello,
Stryx anus, & Syren nequiſſima! Ficus in horto
eſt
Dilapſis folijs iam pridem emortua, trunco
Diſtorto. Hinc ramus protenſis cornibus exit
Suffultus palo, mirè ad ſuſpendia factus.
Nam teres eſt, extatq; ſolo, quantùm ſatis ad
rem,
Vt bile offuſus nigrâ nihil aptiùs optet.
Huic ego tantiſper ſuſpendere te volo, donec
Lethiferam hanc effles auram, quâ tollere in
altum
Conſueuiſti animos mortalium, vt inde, remenſo
Aëre, præcipites ex æthere deuoluantur.
Nam me etiam ſic luſiſti, dum ſæpe maligna
Comiter aſſidens ſcribenti carmina, ijſdem
Pollicita es toties ventoſæ murmura famæ;
Quæ tamen exili ſonitu crepuere, vt arundo
Quæ volat ignifero tractu, dum pulueris inſtat
Vis pyrij à tergo, tum perſtrepit exiguo ictu,
Dein cadit ad terram tacitis excepta tenebris.

Nam

Nam quid opus fuerat vigiles traducere noctes
Id propter, chartæq; oleiq; abſumere, quantum
Nec ſcriba è triuio? Pudet enumerare labores
In ventum ſparſos. At nunc dabis, improba, pœnas
Faucibus eliſis laqueo; laqueo tamen oſtro
Atq; auro filis radiantibus intertexto;
Ne impendare, velut de plebe lauernio quondam
Nocturnis latrocinijs infeſtus: Eamus.
Sic ego. At illa gemens, fletuq; miſerrima largo
Ire negans, atq; aſtra ciens: Non æquus es, inquit,
Qui me ſupplicio damnas tam præpete, nondum
Auditâ cauſâ. Quid enim, mitiſſime vates,
Et Phœbo & ſacris muſis dilecte, quid, inquam,
Tam dirum inſedit facinus, quo triſtius vllum
Nec Scytha, nec Scythicis natus de rupibus auſit?
Nil equidem (teſtor genitoris lumina Solis)
Nil, inquam (teſtor quoq; plectra hæc aurea, & iſtos
Obteſtor digitos per fila canora volantes)
Nil potui aut merui infelix. Hic ſubdola laudes
Mellitas ſolitâ commiſcens arte querelis,
Et mendaciolis reſpergens omnia blandis,
Et miſerabilibus lamentis omnia replens,
Improba deluſit me iterum; ſimul & mihi dextram,
Quâ capiti iniectâ deprenſam crine tenebam,
Ipſa ſuis digitis paulatim exſoluere cœpit,
Dulcibus interea alloquijs, precibusq; decoris,
Et lacrymis orans. Quid plura? Vbi vafra, teneri
Laxiùs, & nodos vbi ſenſit iam prope nullos;
Illico, ceu fulgur, rapidiſſima fugit in altæ
Tecta

VMBRA ACHILLIS.

AD Stygium flumen, denſo circumdata nimbo,
Vt ſtetit è Xantho veniens vmbra inclyta magni
Pelidæ, auerſâ è ripâ clamore minaci
Vectorem iuſſit confeſtim aduertere proram,
Conſcenditq; ratem. Tum remis findere velle
Obſcuros fluctus, clauoq; aſſiſtere, multùm
Reclamante ſene; & partem modò in hanc, modò in illam
Inclinare alnum, atq; iter obliquare carinæ
Impatiens. Tandem, traiecto flumine, in algâ
Littoris oppoſiti ſtetit. At nec ſoluere naulum,
Nec tolerare moras, nec, vti mos eſt, dare nomen
Poſcenti voluit. Sed protinus arua beati
Elyſij oſtendi, comitesq; ducesq; viarum
Iuſſit adeſſe ſibi. Confeſtim ante ora ſenatûs
Tęnarij ignotum prædonem rite miniſtri,
Maximâq; Eumenidum perducere velle. Neganti,
Atq; oculis toruis ſpernenti iura trifaucem
Ante ora adduxere canem. At non ille ferocis
Suſtinuit vultum iuuenis, dictisq; minisq;
Territus ad cymbam fugit, celeriq; natatu
Traiecit fluuium, latrabatq; ore minaci
Ex aliâ ripâ: Furiæ accurrere ſorores
Anguibus implexæ crines, trepidèq; vocati
Illico Centauri è ſtabulis. Tum percitus irâ
Per denſum vmbrarum vulgus ſibi ſternere iter vi
Æacides, ferroq; moras perrumpere; clauſtra
Ærea,

Ex proluſione de litterarum neglectu.

FRAGMENTVM.

HVIC proluſioni occaſionem dedit Idyllium quoddam Emmanuelis Theſauri, fortuitò repertum de origine picturæ; *quo recitato, inuehendi anſam arripui in noſtros auctores, præſertim vates, quorum multa atq; egregia opera ab ijsdem neglecta, & publicæ luci erepta interiere. Inter cætera verò peregrinationem meam quandam per vniuerſæ domûs latibula deſcripſi, quâ plurima litteraria monumenta ex armarijs, cellulis, atq: officinis, non ſine lepidis inopinatisq; euentibus, in lucem eduxi. Nocte autem, quæ litterariam hanc prædam eſt ſubſecuta, mihi apparuiſſe in ſomnis Deos penates finxi; meq; ab ijſdem admonitum, vt, illuceſcente ſole, carmina quædam Leonardi Vellij, & Galeatij Trecchij è noſtra Societate, repoſta in ſubtegulaneo veſtiariæ officinæ, inde aſportarem. Hanc verò partem proluſionis, carminibus quippe expreſſam, lubet ſubijcere.*

ECCE autem in ſomnis Diuûm mihi turba Penatum
Aſtitit ante oculos, queis horrea, tegulæ, & imbrex,
Et ſubſolanæ ſpeculæ, & laquearia curæ
Commiſſa. Hi prædam ingentem, & ſpolia ampla ſub ipſo
Iam pridem tecto furtim docuere repoſta;
Carmina nimirum captiua, inibiq; ſepulta.

Surge

In forulis digeſta ſuis induſia lota
Prætereo, aduersâq; ſitas regione lacernas,
Et Syrtim in medio, qua forfice ſeſquipedali
Immitis Scyron vno ſecat omnia metro.
Inde freto anguſto vectus feror illico apricam
Exiguo aſcenſu in ſpeculam. Stant ordine longo
Funibus extentæ lodices, cingula, abollæ
Centum hyemes paſſæ, victuraq; Neſtoris annos
Galbana, & emeriti thoraces, endromidesq;,
Balthei, baltheoli, centones, bardocuculli.
Hinc iter ad læuam cæci in penetralia (a) tecti.
Hæc erat, hæc iuſſu diuûm monitisq; petenda,
Et penitus luſtranda domus. Ter limina cæca
Horrendasque fores petij; ter limine in ipſo
Extimui, gelidusq; metu veſtigia preſſi.
Tandem vtrâq; manu, vi nitens, & pedis ictu
Oſtia perrupi; quo dirum protinus antrum,
Et domus, & triſtes penitus patuere cauernæ.
Muſa, mihi informes latebras, & ſqualida regna,
Implexosq; aditus memora, quæq; inuia, Phœbe,
Luſtra ſubire nequis, quæq; ipſe horrentia vidi.
Ibam genua trahens protecto vertice, corbes,
Sandapilasq; inter, ramentaq; puluerulentus,
Luminibus captus, carie & lanâ obrutus albâ,
Qualis qui medijs tecto labente ruinis
Emergit, nitensq; manu per rudera reptat.
Hàc illàc ſparſi tripodes, ſubſellia roſa,
Fragmina ſellarum, clitellæ, armaria, ciſtæ,
Dirarumq; auium nidi. Spolia omnia credas
Huc, Ænobarbo quondam victore, regeſta.
Nec Tripolim prædæ tantum conuexerit vnquam
Draguttus pelagi terror, Calaberq; Procuſtes,
Thyrreniq; ferox maris arbiter Ariadenus:

L Nec

(a) *Conditori ✠ m ſub tegulis.*

Nec Leſtrigonijs totidem ſemeſa cauernis,
Semiferiq; putem Caci latuiſſe ſub antris.
Ipſe humeris curuis, quà flebilis impulit aures
Vox audita, feror; te, Phœbe, & ſancta Heliconis
Numina voce vocans, & vos de plebe deorum
Anculus, obſcuriq; lares, & fuſca Lauerna,
Queis ſacri anfractus, caueæ, & ruta cæſa domorum.
Ecce autem, in tenebris pauidus dum ſingula luſtro,
Ad lucem creperæ ſummotâ in parte lucernæ,
Quæ procul ardebat tenui intermortua lychno,
Effigies veneranda ſenis mihi viſa per vmbram
Inceſſu lento venientis. Candida toto
Vertice canities, riſusq; decorq;, rubentisq;
Inclyta maieſtas oris. Manus altera acanthum,
Pallentesq; crocos geſtat; manus altera plectrum.
Iunior huic iuxta procero corpore, vultu
Supremâ macie confecto. At tempora vterq;
Lauro vmbrata gerit; iuueni ſed fronde recenti
Laurea denſa nimis frontem impedit. Ille canorâ
Victricem Hebræam cytharâ, Aſsyrijq; canebat
Exitium regis, populataq; caſtra tyranni.
Carmine quo captus ſanctæ ferre oſcula dextræ
Ter conatus ibi fruſtra, ter fugit imago.
Tum ſic affari, & curas his demere dictis
Longæuus Pater. O noſtros miſerate labores,
Et ſemel hos auſus tandem penetrare receſſus.
Spectra haud vana putes: vates ſumus. Ille ego muſis
Vellius ante alios dilectus, parq; futurus,
Si ſinerent Parcæ, Galeatius. Hisq; vagamur
Incluſi dudum latebris, quòd digna locuti
Phœbo olim, lucis meritæ negleximus auram,
Car-

Carmina ſub nigris paſſi marceſcere thecis,
Mandariq; rogis noſtræ monimenta iuuentæ.
Nec ſpes Elyſijs quondam ſuccedere campis,
Donec qui tenui lychnus prope fumigat igni
Tantum Palladij lentus comburat oliui,
Quantum olei fruſtra ſcribendo abſumpſimus olim.
Quare age; per ſiquid vobis melioribus annis
Auximus antiqui decoris, per acerbaq; fata
Conſumpti iuuenis primæuo in flore iuuentæ;
Carminibus noſtris, quando data copia lucis,
Dic properent alij ſua iungere carmina vates.
Sic ait, & texto de vimine pronus vterque
Exanimes inter ſeruata poëmata cedros
Eduxit lacrymans. Ipſe inclyta munera ſupplex
Amplexus: Quæ dira, Pater, nox auſa malignis
Inficere hæc tenebris? aiebam. At plura volentem
Dicere deſeruere ambo, ceu ſomnia vana,
Atq; iterum ſeſe denſis texere tenebris.
Ergo per ambages tortas veſtigia rurſum
Cæca legens diues ſpolijs in tecta redibam.
Ecce autem, intentis oculis dum ſqualida verſus
Limina reſpicio (dictu mirabile monſtrum!)
Aëriâ è ſpeculâ gemini puro æthere olores
Candentes viſi fœdis excedere tectis,
Felices animæ longâ iam nocte ſolutæ.
Ter circùm niueis luſtrarunt atria plumis;
Ingreſſiq; hortos alter gelſimina roſtro,
Antiqui memor ingenij, memor vſq; cubilis,
Frondem alter veteris lauri tulit ore virentem.
Parthenij donec ſacro de culmine templi
Æriſonam in turrim lapſi, plaudentibus alis
Nubila rara ſuper petierunt ſydera pennis &c.

DE CORVO FABVLA.

QVercubus ex altis octogenaria cornix
Ante ortum ſolis ſomnum mihi rauca laceſſit.
Nupſerit illa, puto, nuper; nam graculus illi
Reſpondet ſenior coniux, crocitantq; viciſſim
Diſcordes ambo. Quæ te vnquam, ſtridula peſtis,
Exagitat rabies? Nec miluius hanc ſibi prædam
Vnguibus inuadit? nec duro è tergore pennas
Ille tibi vellit, qui cymbala temperat aureis
Diſſona clauiculis? Sic olim percitus irâ,
Aëriâ è ſpeculâ dum lenia frigora capto,
Execrabar auem. Verùm illa ferociùs altis,
Me viſo, è ramis crocit; coruiq; ſequaces,
Et picæ, & graci quotquot ſub fronde latebant
Ingeminant dirum carmen, nobisq; precantur,
Venturisq; olim ſocijs dictu horrida quæque,
Bella, famem, ſcabiem, lites, & inhoſpita tecta.
Nec ſatis. Vrbe etiam totâ, ſtridoribus atris,
Vt nigras tunicas videre, & pallia nota,
Rauca ſonant diræ volucres, probrisq; ſequuntur.
Phœbe Pater, voſq; Aonio de vertice, Muſæ,
Dicite quæ cauſa irarum, quo numine læſo
In nos nigra phalanx exerceat horrida bellum.
Sic vobis niuei prope ſtagna Heliconia cycni
Aſſueſcant ripis, nec fœda immunda volucris
Auſit Pierias vnquam volitare per auras.
Tempore quo rigidus Fabritius, ille Gelonis
Sauromatisq; olim notus, Braydenſibus olim
Iura

Iura dabat ſocijs; Coruum fama eſt, probitatis
Et fidei antiquæ, viridis crudæq; ſenectæ,
Hos inter vixiſſe lares, ſpecimenq; dediſſe
Indolis egregiæ. Teneris namq; hoſpes ab annis
Aſſuerat tectis, pulices excerpere doctus,
Sicubi vidiſſet, roſtroq; inuadere mures,
Felibus exemplar veteranis, quos patinarum
Largus adeps reddit plerumq; ad munera inertes.
Contigit vt nigrum miſer inter cruſtula vinum
Largiùs ille ſemel potaret, quò cerebellum
Nonnihil immaduit; ſubijtq; inſana cupido
Credere ſe cœlo; quòue illum fata trahebant,
Velatarum adijt contermina clauſtra ſororum.
Tempus erat, quo, poſt epulas, de more puellæ
Æſtiuo moriente die, ſub vitibus altis
Indulgent miſeræ ludis, facilesq; cachinnos,
Garritusq; cient, quos ſæpe ſubaſpera mater,
Virginei cœtus cui credita cura minoris,
Compeſcit dictis. Conos tum fortè ſaiignos
Decutere alternis certabant iactibus, vt mos
Fœmineo in vulgo: ludoq; aſtabat inani
Cippus (erat Coruo id nomen) Quis crederet vnquam?
Cippus honor volucrum, ſeniorq; aſceticus ille,
Legibus auſteris ſeruare ſilentia doctus,
Demiſſisq; oculis, flexoq; incedere collo,
Nunc verſari inter florenti ætate puellas
Demens, virgineos nec formidare receſſus.
Heu! nihil humanis fas quenquam fidere rebus.
Protinus ad volucrem peregrinam accurrere lætæ,
Atq; illam feſto circùm concludere gyro
Ambæ Ceciliæ, ſoror Vrſula, Sor-Violanta,

Euphroſyne, Eugenia, & cuſtos Febronia torni,
Et criſpare ſacros patiens Victoria amictus,
Quæq; æs campanum pulſat Petronia mater,
Virginiæq; ſoror Conſtantia Petronilla.
Ac veluti mimum paxillo noctua ab alto
Garrula dum peragit, ſalientem & deſilientem,
Stridentemq; alis inſueto in lumine ſolis
Miratur ſimplex circumuaga turba volucrum:
Haud aliter Cippo certatim murmure læto
Circumfuſa omnis Veſtalis turba fauebat.
Ille etiam (dictu miſerum!) bellaria roſtro
Excipere infelix, & reſpondere roganti
Singula longæuæ matri, quæ prandia patrum,
Quæ macris ferijs, quæ pinguibus eſca diebus,
Quot numero ſocij, quis alacrior, & ſibi quidnam
Hæc atq; illa velint. Cuncta ille arcana aperire,
Atq; vnus garrire magis quàm fœmina poſſet,
Mentem adeò potuit vis perturbare Lyæi.
Quid plura? Vt monuit nox ſera in tecta reuerti,
(Quæ fuit exitij ſumma, & caput omne malorum)
Hinc præſes Liduina chori, & ſoror inde Beatrix
Lemniſcos varios adcircinat vtraq; collo,
Illa rubros, hæc luteolos, vitreumq; monile.
Nec ſecus ac ſenior capularis vertice glabro,
Nubere qui ſtatuit, cælebs qui iunior annos
Degerat; ille ſibi viſus ſpectabilis oſtro
Verſicoloratas librauit in æthere pennas;
Inq; lares demum redijt, non ampliùs ille
Qui nuper tectis exiuerat. Heu! malus augur,
Ignarus tibi quos referent ea vincula nexus.
Fortè peragrabat ſutor nequiſſimus hortum,
Lanea ſub noctem conuecta volumina quædam,
Iam dudum opperiens. Tecti cùm limine in ipſo
(Sic erat in fatis) morti iam debitus ales
Inci-

Incidit in dirum cuſtodem, qui peregrinas
In veſtes torquens fera lumina, Quò fugis? inquit,
Vnde? quid iſta recens, nebulo, tibi purpura pennis
Nata? quid hæ nugæ? quò, furcifer? Ille fateri
Omnia, vbi fuerit, quid viderit, vt redeunti
Illa adnexuerint, & cetera. Nil retinere
Graculus, vrna velut lympham verſo euomit ore.
At durus ſutor, pietas cui pectore nulla,
Quo non è corio vetus ocrea durior vlla,
Illico prætori auſtero rem detulit omnem.
Mox Cippum fraude accitum, nil tale timentem,
Secretò in tenebris incluſum cratibus abdit.
Mane, vbi nigra dies pluuio ſeſe extulit axe,
Diditur in ſocios ſeries rei. Tollere vultus,
Mirariq; omnes quæ tam veſana repentè
Mens iniecta foret, quâ ſpe, quo numine læuo
In ſacras ædes volitaſſet, quomodo, curque.
Murmur erat, velut in syluis cùm turbidus Auſter
Serpit arundineis: ſtrepit ædes cuncta ſuſurro
Hinc atq; hinc vario. Miſer in prætoria ductus;
Iudicis ante oculos, formidatumq; tribunal
Vt ſtetit, heſternis de nugis rite rogatus;
Admiſſum crimen, violataq; clauſtra fateri,
Inq; meri heſterni potum delicta referre,
Teſtariq; Deos lacrymis, veniamq; precari.
Quo gemitu orator motus, qui tum Ciceronis
De Oratore librum, & Fabij præcepta docebat,
Vellius ille bonus, quo non humanior alter
Candidiorq; ſenex, caſum miſeratus iniquum,
Mitibus, vt poterat, lenire ea crimina dictis.
Dandum aliquid primo errori, tum ſimplicitati,
Tum vitæ anteactæ ſtudijs, vino, atq; ſenectæ,
Noctes atq; dies clauſus penetralibus atris

Vitam

Vitam agit infelix; nec, ſi ſemel exſpatiari
Extra ædes patrias libuit, fas perdere letho
Innocuam volucrem. Non crimen tale putarat,
Nec ſanctos adeò, cuſtoditosq; penates;
Abſtuleratq; omnem Bacchi vis improba mentem.
At quodcunq; ſcelus fuerit vel morte piandum,
Per vetus hoſpitium, Patres, per quidquid honeſti eſt,
Non pœnam refugit, ſed plecti mitiùs orat.
Quare agite, heu miſero permittite luminis auram,
Quam poſcit lacrymans, & vobis deuouet omnem.
Spondeo ego poſthac vino illita vitaturum,
Neue egreſſurum tectis. Non hæc ita ſpondes
Tu quoque? Rauca gemens ales demittere ſeſe,
Et maria & montes promittere ſingultando,
Et, niſi præſtiterit, ſibi quæq; horrenda precari.
At lacrymis iudex & vocibus obſtruit aures.
Stat punire nefas letho, & dare poſteritati
Exemplum memorandum omni, quod ſecula diſcant.
Et quanquam moueat pietas, animumq; laceſſat,
Ire iuuat contra, ſupremaq; iura tueri.
Ergo, vbi rite Patres ad menſas accubuere,
Siſtitur in medio reus ales, nigraq; mortis
(Attonitis circùm, intentisq; tenentibus ora)
Charta palàm legitur.
Cippus de Grachis heſterno veſpere muſto
Ebrius, in cœtus Veſtales quòd penetrarit,
Inde auſus collo muliebria dona referre,
Atq; arcana domûs vulgare, & lædere clauſtra,
Trunco infelici ſuſpenditor, & laqueator
Sacrilegis vittis, quas improbus aſportauit.
Diriguere metu cuncti, gemitumq; dedere,
Secum

Secum euoluentes quid vinum & fœmina poſſint,
Quid multum eloquium nunquam ſine crimine,
vt erret
Deuius in præceps qui ſpernit parua, nec vlli
Cæca, ſuiq; nimis ſecura audacia proſit.
Eſt in parte horti nemus altis quercubus horrens,
Nocte vbi concubiâ diræ ſub frondibus atris
Lamentantur aues. Nulli fas tangere patrum,
Veſper vbi incubuit, nigræ penetralia ſiluæ.
Non gramen tellus, non lætas educat herbas,
Tantùm humiles iuncos, veteriſq; inſignia myrti.
Ingens in medio nemoris patet area, muſis
Sacra olim, ſtatio nigris nunc ſtridula picis.
Huc vbi peruenit Cippus (miſerabile viſu)
Adiutorum inter ſæua agmina ſuccinctorum,
Vt ſtetit in medio, & nemus vndiq; circumſpexit,
Nec ſaltem differre necem iuuat vsq; precari;
Infelix ales furijs immanibus actus
Horrendum cecinit carmen, quo lucus & omnis
Inſonuit ſtridore domus: Dij talia reddant
Gentibus infandis, quas non tetigere querelæ,
Nec caſus miſeri. Hæc merces hæc nempe laborum,
Hæc laſſæ ætatis requies? Iuuat ire ſub vmbras,
Crudeleſq; domos fugere, ingratoſq; penates.
Spero equidem extremas voces, ſupremaq; vota
Audiat hæc aliquis ſuperûm, qui dira rependat
Funera: Tum ſiqua eſt noſtri poſt fata ſuperſtes
Vmbra memor (vos hæc animis mea figite dicta)
Dira lues volitans, vox horrida corporis expers
Vrbe ſequar totâ raucis clangoribus, hoſtes
Inuiſos medijs triuijs, mediâ vrbe laceſſam.
Et vos, pennigeri ſocij, ſtirps incola cœli
Exercete odijs gentes: nigra agmina nigris
Imprecor agminibus, pugnent ipſiq; nepotes
Irarum

Irarum memores, nec pax nec fœdera ſunto.
Sic ait, & vittas, non iſtos munera in vſus
Tradita, lethales ſubijt, ramoq; pependit
Infauſtum funus. Flerunt è quercubus altis
Aëriæ in ramis volucres, ipſæq; dedere
Annoſæ quercus gemitum, procul & cypariſſi
Auertere caput; flerunt quoq; triſtia Cippi
Fata Deæ, & ſiluam feralem fugit Apollo.
Ex illo infenſi nobis ex æthere corui
Paſſim inſectantur probris, & ſicubi quenquam
Proſpexere, grauem quamuis ſenioq; verendum,
Coruinum ingeminant carmen. Non dira Celæno,
Ocypeteq; ſoror Strophadum ſub rupibus altis
Triſtiùs ingemüit; nec quos Cythereïa verſos
Threycias in aues comites Diomedis Achiuos
Piſcoſis iubet in ſcopulis effundere queſtus.
Cauſa mali tanti ſutor nequiſſimus ille
Cippi accuſator. Meritas ſed numine diuûm
Ille etiam ſubijt pœnas. Nam munere poſtquam
Lethali eſt functus (dictu mirabile monſtrum)
Oſſibus atq; cuti nigra illi veſtis adhæſit;
Hærentesq; manu conatus vellere amictus
Impleuit curuos pennis nigrantibus vngues.
Os abit in roſtrum, & conanti reddere voces
Stridula vox crocit. Nunc tectis coruus oberrat
Vnguibus inſiſtens duris, perq; atria longa
Saltibus incedit. Nil tutò cuiq; repoſtum.
E cellis olidos calceos, crepidasq; biennes,
Nocturnos & pileolos, atq; obuia quæq;
Vngue rapit prædo, & latebris nidisq; reponit.
Vellius at bonus, & vindex clementior æqui,
Dilectus Phœbo vates liquidum æthera pennis
Albus olor petijt &c.

FINIS.

[illegible] Google

905638147

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google